



Blase Gladiaq. ... in ...

Aug. in Can. fol. 53. etc.

Lectiones divinae tonitrua sunt
in aure diaboli: orationes devote
effusa jacula sunt contra daemones.
Per lectiones relinquitur a tenta-
tore: per orationes fugantur ad-
versarii.

Flodorus

Qui vult cum deo semper esse, & frequenter
legere & frequenter orare debet. Nam cum
oramus tunc cum deo loquimur cum vero
legimus deus nobiscum loquitur.

x Aus Magister huius loci ...

Ut tua pertingat, penetretq. pennis celum
Corde sit ex puro, sit brevis, atq. frequens.

Quae mandata principis hanc tacitam
habent conditionem si peccata veritate
Semmelband mitantur. Ch 5 II



Jan 7350

Breuiarium,
COMPLECTENS
PRECES CHRISTIANAS,

PER SINGVLOS
septimanæ dies,

PRO OMNIBVS STA-
TIBVS ET ORDINIBVS
huius vitæ dicendas.

A V T O R E
IO HANNE AVENARIO
E G R A N O .



*Valentinus
Bernhardus
Mylus*

*comparavi, hunc
Alfeld. 1661.*

15

96.

L I P S I A,
C V M P R I V I L E G I O .
Impensis V. Vœgelini.



THE UNIVERSITY OF
COLLEGE BOSTON
PRESIDENT CHRISTIANAS
PER
MR. O. M. W. B. S. A.
THE UNIVERSITY OF
BOSTON
A. V. S. A.
IO HANNES AVENARIO
L. G. R. A. N. O.



**TABVLA LITERARVM
DOMINICALIVM.**

A g f d c b **A** f e d c **A** f g
 e g b

e c b **A** g e d c b g f e d b
 d f **A** c

In tabula hac literam Dominicalem sic inuenies: primam literam, quæ est g tribue anno 1570. sequentem, quæ est f, tribue anno 1571. Sicq; deinceps progredere, quousq; peruenias ad literam, super quam cadit numerus illius anni, quæ erit litera dominicalis. Quæ si vnica sit, annus communis erit: si duplex, bissextilis. Et tunc prior, id est, superior, vsq; ad 24. Febr. deseruiet: inferior autem ad reliquam anni partem accommodabitur. Sciendum autem, quod finitis 28. annis, redeundum est ad principium, cum annis tunc concurrentibus.

A V R E V S N V M E R V S.

**XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.
I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.**

Si modo, vt dictum est, de litera Dominicali, deprehendes aureum numerum, in supra scripta numerorum serie. Nam primū numerū, qui est XIII. tribue anno 1570. Sequentem, qui est XIII. tribue anno 1571. & sic deinceps, donec ad annum tuum peruenias. Finitis 19. annis, regredere iterum ad principium.

Seruit autem sequens Calendarium nostræ regioni, quantum ad Solis ortum & occasum attinet. Est enim accommodatum ad elevationem 52. graduum.

A 2

Poto.

*Carnes torreo Ianus en trementes.
Et latus comedo biboq, ad ignem.*

Ianuarus habet dies XXXI.

Luna verò habet XXX.

Cisio, Ianus, Epi, sibi vendicat, Oc,
Feli, Marc, An.

Prisca, Fab, Hag, Vincenti, Paulus,
nobile Lumen.

	A		Ca'endæ. Circumcisio Dom.	1
8	B	4	Octaua sancti Stephani	2
16	C	3	Orrus Solis 8.	3
	D		Pridie Occasus 4.	4
5	E		Nonæ. Simeonis confessoris	5
	F	8	Epiphania Domini	6
14	G	7	Iuliani martyris	7
	A	6	Rigoberti episcopi	8
2	B	5	Martianæ virginis	9
10	C	4	Pauli pri. ere.	10
17	D	3	Ignei mart. Sol in aqua.	11
	E		Pridie. Satyri martyris	12
7	F		Idus. Hilarij episcopi	13
15	G	19	Calen. Feb. Felicis pres.	14

	▲	18	Mauri abbatis	15
4	B	17	Marcelli Papæ & mar.	16
	C	16	Antonij Abbaris	17
12	D	15	Priscæ virginis & mart.	18
	E	14	Marij cum so. Marty.	19
1	F	13	Fabiani & Sebastiani	20
9	G	12	Hagnetis virginis	21
17	▲	11	Vincentij martyris	22
	B	10	Emerentianæ virginis	23
6	C	9	Timothei discip. Pauli	24
	D	8	Conuersion. Pauli	25
14	E	7	Polycarpi martyris	26
	F	6	Iuliani episcopi	27
3	G	5	Agnētis secundo	28
11	▲	4	Valerij episcopi	29
19	B	3	Batildis reginæ	30
	C		Pridie. Cyrici, & Ioan. mar.	31

Circumcisio Magos mittit

Ad Christi cunabula:

Antonio Agnes subit,

Paulus fidem suscipit.

A 3

OC,

1115,

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

Ligna cremo.

*Incido glaciem Februs securi
Nec non mitia culta stercorizo.*

Februarius habet dies XXVIII.

Luna verò XXI X.

**Cum autem bissextus fuerit, habet
dies XXIX.**

Luna verò XX X.

*Brig, Purg, Basil, Ag, Dor, Februa,
Ab, Scholastica, Valent,
Iuli, coniunge tunc Petrum, Matthi-
am inde.*

8	D	Calendæ. Brigittæ	1
16	B	4 Purification. beatæ Mariæ	2
	F	3 Basilij episcopi	3
5	G	Pridie. Gilberti confessoris	4
	A	Nonæ. Agathæ virg. & marty.	5
13	B	8 Dorotheæ virginis	6
2	C	7 Moyseti episcopi	7
10	D	6 Salomonis martyris	8
	E	5 Apolloniæ. Sol in piscibus	9
18	F	4 Scholasticæ virginis	20
	G	3 Ortus Solis. 7.	11

7	A	Pridie. Occasus 5.	12
	B	Idus. Fusca virginis & mar.	13
15	C	16 Calen. Mar. Valent. mar.	14
4	D	15 Faustini episcopi	15
12	E	14 Iulianæ virginis	16
1	F	13 Constantinae virginis	17
	G	12 Simeonis mar. epif. Hier.	18
9	A	11 Sabini presbyteri	19
	B	10 Galli presby. & confes.	20
17	C	9 Lxxix. Martyrum	21
	D	8 Cathedra sancti Petri	22
6	E	7 Sereni	23
14	F	6 Matthiæ apost. Loc. bissef.	24
	G	5 Alexandrini episcopi	25
3	A	4 Victoris & so. mar.	26
11	B	3 Leandri episcopi	27
19	C	Pridie. Romani abbatis	28

Se purgat nunc Agatha,
Nunc nudus prodibit Va-
lens,
Qui Ver nunciabit Petro,
Matthiæ sortem.

A 4

1
2
3
4
5
6
7
8
9
20
11

I.
2
st
hi-

De vite superflua demo

*En sum Martius, qui puto gementes
Vites, nec minus arbores comoſas.*

Martius habet dies XXXI.

Luna verò XXX.

*Martius, Adria, Per, decoratur Gre-
gorio, Cyr.*

*Gerdrud, Alba, Bene, iuncta Maria
genetrice.*

8	D	Calendæ.	Albini epif. & confes.	1
	E	6	Nicetij episcopi	2
	F	5	Maximi martyris	3
16	G	4	Adriani martyris	4
5	A	3	Focæ martyris	5
	B	Pridie.	Victoris martyris	6
14	C	Nonz.	Perpetuæ & Felicitat.	7
2	D	8	Apollonij martyris	8
	E	7	Quadrageſima martyr.	9
10	F	6	Vgi archiepiscopi	10
	C	5	Sol. 40. Mar.	11
18	A	4	Gregor. Pap. Sol in Arie.	12
7	B	3	Æquinoctium vernum	13
	C	Pridie.	Solis ortus 6.	14

15	D	Idus. Occasus 6.	15
4	E	17 Calen. April. Cyriaci	16
12	F	16 Gertrudis virginis	17
	G	15 Anselmi episcopi	18
I	A	14 Albani episcopi	19
9	B	13 Guberti confessoris	20
	C	12 Benedicti abbatis	21
17	D	11 Pauli episcopi Narbo.	22
	E	10 Pigmeni episc. & mar.	23
6	F	9 Theodori presbyteri	24
	G	8 Annuntiationis Mariæ	25
14	A	7 Castorij martyris	26
3	B	6 Ruperti episcopi	27
	C	5 Grondani	28
11	D	4 Quintini martyris	29
19	E	3 Secundi martyris	30
	B	Pridie. Sabinæ virginis.	31

Martius Adriano narrat
 Atq; Gregorio,
 Quod Gertrudis & Benedi-
 ctus
Annunciant virgini.

A 5

Do germen gratum.

*Aprilis patula nucis sub umbra
Post conuiuia, dormio libenter.*

Aprilis habet dies X X X.

Luna verò X X I X.

April, in Ambrosij festis ouat atq;
Tiburti.

Et, Valer, sanctiq; Georg, Marciq; Vi-
ualis.

	G	Calen.	Theodoræ virg. & mar.	1
16	A	4	Mariæ Ægyptiacæ	2
	B	3	Pancratij martyris	3
5	C	Pridie.	Ambrosij episcopi	4
13	D	Nonæ.	Vincentij confessoris	5
	E	8	Cœlestini Papæ	6
2	F	7	Alexandri martyris	7
10	G	6	Dionysij episcopi	8
	A	5	Prochori martyris	9
18	B	4	Apollonij presbyteri	10
	C	3	Sol in Tauro. Ort. Solis 5.	11
7	D	Pridie. Occalus 7.		12
15	E	Idus,	Euphemie virginis	13
4	F	18	Calend. Maij. Tybur. mar.	14

	G	17	Helenæ	15
12	A	16	Isidori martyris	16
1	B	15	Aniceti Papæ	17
	C	14	Valerij	18
9	D	13	Crescenti	19
	E	12	Sulpitij & Seruiliæ	20
17	F	11	Simonis episcopi	21
	G	10	Soteris Papæ	22
6	A	9	S. Georgij	23
14	B	8	Gregorij episcopi	24
	C	7	Marci Evangelistæ	25
3	D	6	Marcellini martyris	26
11	E	5	Anastasij Papæ	27
19	F	4	Vitalis martyris	28
	G	3	Petri martyris	29
8	A		Pridie. Eutropij epif. & mar.	30

Aprilis Ambrosio gaudet,
Cui martyr Tiburtius
Predicit mox futuram
Marci stationem.

Mihi flos seruit.

*Maius nunc equito per arua latus,
Atq; hac gl'ior aucupatione.*

Maius habet dies X X X L

Luna verò X X X.

Philip, Crux, Flor, Goth, Iohan, latin,
Epi, Ne, Ser, & Soph.

*Maius in hac serie tenet Urban in pe-
de Cris, Can.*

	B	Calendæ. Philip. & Iac. Apost.	1
16	C	6 Sigismundi regis	2
5	D	5 Invention. sanctæ Crucis	3
	E	4 Floriani martyris	4
13	F	3 Gotardi episcopi	5
2	G	Pridie. Ioan. ante portam Lati.	6
	A	Nonæ. Cleti Papæ & mar.	7
10	B	8 Apparition. sancti Michael.	8
	C	7 Translatio sancti Nicolai	9
18	D	6 Epim. & Gordiani.	10
	E	5 Mamerti & Maioli	11
7	F	4 Nerei & Achil. Sol in Gem.	12
15	G	3 Seruatij	13
4	A	Pridie. Bonifacij Papæ.	14

12	B	Idus. Sophi martyris	15
	C	17 Calen. Iunij. Hono. epif.	16
1	D	16 Torpetæ martyris	17
	E	15 Felicis episcopi	18
9	F	14 Solis ortus 4.	19
	G	13 Occasus 8.	20
17	A	12 Talentis episcopi	21
6	B	11 Helenæ reginæ	22
	C	10 Desiderij epif. & mar.	23
14	D	9 Donatiani & Roga.	24
3	E	8 Urbani Papæ & mar.	25
11	F	7 Eleutherij Papæ & mar.	26
	G	6 Ioannis Papæ & mar.	27
19	A	5 Germani episc. Paris.	28
7	B	4 Maximi episcopi	29
	C	3 Felicis Papæ & mar.	30
16	D	Pridie. Petronellæ virginis.	31

Jacobus Crucem inuenit,
 Obtruncatur Pancratius,
 Jucundum Ver iam prete-
 rijt,
 Urbano redit Aestas.

Mihi pratum.

*A Estiuo meto Iunius calore,
Has latas segetes diu cupitas.*

Iunius habet dies X X X.

Luna verò habet X X I X.

Nic, *Marcelle, Boni, dat, Iun, Primi
Ra, Cyrini.*

*Vitiq, Mar, Protus, Al, Sancti Iohann
Io, Dor, Le, Pe, Pau.*

	E		Calendæ.	Nicomedis martyr.	1
5	F	4		Marcel. & Eras. mart.	2
13	G	3		Pergentini martyris	3
2	A		Pridie.	Quirini epis & mar.	4
5	B		Nonæ.	Bonifacij epis. & mar.	5
10	C	8		Claudij epis & confes.	6
	D	7		Pauli epis. Constantinop.	7
18	E	6		Medardi & Gild. confes.	8
7	F	5		Primi & Felician. mar.	9
	G	4		Ortus Solis ante 4.	10
15	A	3		Barnabæ Apostoli	11
4	B		Pridie.	Cyri. Nab.	12
12	C		Idus.	Sol in Cancro.	13
	D	18		Cal. Iulij Solstit. æstiuum	14

E	E	17	Viti & modesti	15
	F	16	Cirici & Iulitæ mar.	16
9	G	15	Auiti abbatis	17
	▲	14	Marcelliani martyr.	18
17	B	13	Geraasij & Porthasij	19
	C	12	Syluerij Papæ & mar.	20
6	D	11	Albani	21
14	E	10	Paulini epis. & confes.	22
3	F	9	Acharij	23
	G	8	Natiuitatis Ioan. Bapc.	24
11	▲	7	Amandi episcopi	25
19	B	C	Ioannis & Pauli mar.	26
	C	5	Dormientium 7.	27
8	D	4	Leonis; Papæ	28
	E	3	Petri & Pauli apost	29
16	F		Pridie Comme. sancti Pauli	30

Nicomedes Bonifacio

Fœnum reportat:

Vitus segetem mox promittit

Baptista atq; Petro.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

Spicas declino.

Granum Iulius aridis flagello
E spicis quatio coquente Sole.

Iulius habet dies XXXI.

Luna verò XXX.

Iul. Visit, Huldreich, oc, Bil, Chili, Fra,
Bene, Margar, Apost, Al.
Arnolphus, Prax, Mag, Ap, Chris,
Iacobiq, Sim, Abdon.

9	G	Calendæ	Octa. S. Ioan. Bapti.	1
13	A	6	Visitatio beatæ Mariæ	2
	B	5		3
1	C	4	Huldrici Episcopi	4
10	D	3	Domitij martyris	5
18	E		Pridie. Caniculares.	6
	F		Nonæ. Bilboldi Episcopi	7
7	G	8	Chiliani Episcopi	8
	A	7	Ortus Solis 4.	9
15	B	6	Occalus S. Frat. 7.	10
4	C	5	Pij Papæ & martyris. Bene	11
	D	4	Naboris & felicis. Cidia	12
12	E	3	Margarethæ	13
	F		Prid. Herac. episc. Sol in Leo.	14



9	B	16	Alexij confessoris	17
	C	15	Arnolphi episcopi	18
17	D	14	Ruffinæ	19
6	E	13	<i>Margaretæ virginis</i>	20
14	F	12	Braxedis	21
	G	11	<i>Mariæ Magdalenaë</i>	22
3	A	10	Apollinaris martyr.	23
11	B	9	Christianæ virginis	24
	C	8	<i>Jacob. Apo. Chrytomar.</i>	25
19	D	7	Annæ matris Mariæ	26
8	E	6	Caroli	27
	F	5	Nazarij & Celsi	28
16	G	4	Marthæ virginis	29
5	A	3	Abdon. & Senen.	30
	B		<i>Pridis. Faustini confessoris</i>	31

Jam Maria affert messem,
Cyrillus metet,
Ut Cererem in horrea
Magdala Iacobusq; repor-
tent.

B

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

Spicas declino.

Augustus vegetos cados coacto,
Quam possum benè circulis papyro.

Augustus habet dies XX XI.

Luna verò XX X.

Pe, Steph, Steph, Prothus, Six, Don,
Cyr, Ro, Lau, Tybur, Hyp, Eus.
Sumtio, Agapiti, Timo, Bartholo,
Ruff, Aug, Col, Aucti.

13	C	Calendæ. Vincula S. Petri	1
2	D	4 Stephani Papæ	2
	E	3 Inuentio sancti Stephani	3
10	F	Pridie. Iustini presbyteri	4
	G	Nonæ. Osualdi regis	5
18	A	8 Sixti martyris	6
7	B	7 Donati martyris	7
15	C	6 Cyriaci & sociorum eius	8
	D	5 Romani mar.	9
4	E	4 Laurentij martyris	10
12	F	3 Tiburtiæ & Susannæ	11
	G	Pridie. Claræ virginis	12
1	A	Idus. Hyppol. Ortus Solis 5.	13
	B	19 Cal. Septemb. Occasus 7.	14
9	C	18 Assum. Ma. virg. Sol. in Vir.	15
	D	17 Leonis martyris	16

17	E	16	Octaua sancti Laurentij	17
6	F	15	Agapiti martyris	18
	G	14	Magni episcopi	19
14	A	13	Bernardi abbatis	20
3	B	12	Anastasij martyris	21
	C	11	Timoth. & Simph.	22
11	D	10	Timo. & Apol.	23
19	E	9	Bartholomæi apostoli	24
8	F	8	Ludouici regis	25
16	G	7	Seuerini Papæ	26
	A	6	Rufini & Gebhardi	27
5	B	5	Augustini episcopi	28
	C	4	Decol. Ioan. Baptista	29
13	D	3	Felicis & Adau.	30
	E		Pridie. Felicis confes.	31

*Petrus catenis stringitur,
Dum Laurentius & Ma-
ria*

*Ad cælos vocant
Cum Bartholomæo Ioannem.*

B 2

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16



Semen humi iacto.

*Nigris impleo dolium racemis
September, benè vina concoquantur.*

September habet dies XXX.

Luna verò XXIIX.

Egidium Sep habet, Nat, Gorgon,
Protig, Crux, Nic.

Euph, Lamperti, Matth, Mauricius,
& Da, Vuen, Mich, Hier.

2	F	Calendæ.	Egidij Abbatis	1
	G	4	Antonini martyris	2
10	A	3	Lupi episcopi	3
18	B	Pridie.	Moyfi confessoris	4
7	C	Nonæ.	Victorini martyris	5
	D	8	Zachariæ prophetæ	6
15	E	7	Clodoaldi confessoris	7
4	F	6	Natiuit. Mariæ virginis	8
12	G	5	Gorgonij martyris	9
	A	4	Nicolai Tolentini	10
1	B	3	Proti & Hyacin.	11
	C		Pridie. Equinoctiū autumnale	12
9	D		Idus. Sol ortus 6.	13
	E	18	Cal. Octo Exal. cru, Occ. 6.	14
1	F	17	Nicom. Sol in Libra.	15
	G	16	Euphemie martyris	16



14	A	15	Lamperti episc. & mar.	17
	B	14	Victoris & Coro.	18
3	C	13	Ianuari. episc. & mar.	29
11	D	12	Eustachij mar.	20
	E	11	Matthæi Apostoli	21
8	G	9	Teclæ virginis	23
19	F	10	Mauricij cum socijs	22
	A	8	Ando. Tit. & Fe. mar.	24
16	B	7	Cleophæ de 72.	25
5	C	6	Cypriani & Iusti.	26
	D	5	Cosmæ & Damiani.	27
13	E	4	Vvenceslai	28
	F	3	Michaëlis archangeli	29
	G		Pridie. Hieronymi doct.	30

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

Egidi letus gaude,

Maria nata est.

Crucem exaltant cuncti,

Matthæo volat obuius **Mi-**
chaël.

B 3

Vina propino.

October boue semino iuuante,
Ut tellus ferat omnibus legumen.

October habet dies XXXL

Luna verò XXX.

Remigij, Franciscus, Marcus, Di, Ger,
Artiq, calix.

Galli, Lucas, vel Vnd, Se, Seue, Chri-
spini, Simonis, Quin.

2	A	Calendæ.	Remigij epis. & conf.	1
	B	6	Leodegarij episcopi	2
10	C	5	Candidi martyris	3
18	D	4	Francisci confessoris	4
	E	3	Placidi cum soc. marty.	5
7	F	Pridie.	Fidis virgi. & mar.	6
15	G	Nonæ.	Iustinæ virginis	7
4	A	8	Sacra sancti Marci	8
12	B	7	Dionysij & soc. eius	9
	C	6	Gereonis & soc.	10
1	D	5	Charitatis	11
	E	4	Burckhardi	12
9	F	3	Geraldi confessoris	13
17	G	Pridie.	Calixti Papæ	14
		Idus.	Ortus Solis 7. Occasus 5.	15
6	B	17	Cal. No. Gall. Sol in Scor.	16

	C	16	Cerbonij episcopi	17
8	D	15	Lucæ Euangelistæ	18
	E	14	Saviniani & Poten.	19
4	F	13	Caprasij martyr.	20
15	G	12	Vrsalæ cum sodal.	21
19	A	11	Seueri episcopi	23
8	C	9	Maglorij episcopi	24
16	D	8	Crispi, & Crispini	25
	E	7	Euaristi Pa. & martyr.	26
5	F	6	Geltra. virg.	27
13	G	5	Simonis & Iudæ Apo.	28
	A	4	Zenobij presbyteri	29
	B	3	Bernardi episcopi	30
2	C		Pridie. Quintini mar.	31

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

Remigi Franciscum mone
Prouideat dura hyemi.

Lucas iam pluit, **Seuerinus**
flat,
Simon gelat.

B 4

Mihi pasco fues.

Pingues ditibus anseres Nouember
Vendo, & ligna seco fauente Luna.

Nouember habet dies XXX.

Luna verò XXIX.

Omne, Nouember, Leon, Qua, Theo,
Martin, Britijq,
Post hæc, Elisa, Ce, Cle, Cris, Kathari-
na, Sat, An.

10	D	Calendæ. Omnium Sanctor.	1
18	E	4 Commemo. defunct.	2
7	F	3 Marcelli episcopi	3
	G	Pridie. Vital. & Agri. mar.	4
15	A	Nonæ. Zach. patris Ioan. Bapt.	5
4	B	8 Leonardi confessoris	6
	C	7 Herculani episcopi	7
	D	6 Quatuor corona.	8
	E	5 Maturini confessoris	9
	F	4 Martini & Vera.	10
	G	3 Martini episcopi.	11
9	A	Pridie. Martini Pap. & mar.	12
17	B	Idus. Brieti epif. Sol. in Sagit.	13
	C	18 Cal. Dec. Io. epif. & confes.	14
6	D	17 Eugenij martyris	15
	E	19 Eucharij episcopi	16

14	F	15	Ortus Solis 8.	17
3	G	14	Occasus 4.	18
	A	13	Elisabeth viduæ	19
11	B	12	Edmun. reg. & mag.	20
16	C	11	Præsentation. virginis	21
8	D	10	Cæciliæ virginis	22
	E	9	Clementis Papæ	23
16	F	8	Crisogoni martyris	24
5	G	7	Katharinæ virginis	25
	A	6	Genoue. de mirac.	26
13	B	5	Agricolæ & Vi. mart.	27
	C	4	Prosperi episcopi	28
2	D	3	Saturini mar.	29
10	E		Pridie. Andreæ Apostoli	30

Omnes sancti exultate,
*Adest **Martinus** musto*
madidus,
Elisabet profert
Catharæ** amphor. **An.

B 5

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

ri-

Mihi maño.

*Letus viuere nunc volo December,
Occido quoniam suem triumphans.*

December habet dies XXXI.

Luna verò XXX.

December. Barba, Nicolau, & alma
Lucia,

*Sanctus abinde Thomas, modo Nat,
Steph, Io, Pu, Thoma, Syl.*

	F		Calendæ. Eligij episc. & conf.	1
18	G	4	Valeriæ virg. & mar.	2
7	A	3	Cassiani martyris	3
	B		Pridie. Barbaræ virginis	4
15	C		Nonæ. Sabæ abbatis	5
4	D	8	Nicolai episc. & confes.	6
	E	7	Faræ virginis	7
12	F	6	Conception. Mariæ virg.	8
	G	5	Prouili episcopi	9
1	A	4	Nicasij cum soc. mar.	10
9	B	3	Damasi. Pa. & confes.	11
	C		Pridie. Vale. ab. Sol in capr.	12
17	D		Idus. Luciæ virg. & mar.	13
6	E	19	Ca. Ian. Nicasij episc. mar.	14
	F	18	Valeriani episcopi	15
14	G	17	Melerij episcopi	16

	A	16	Lazari resuscitati	17
3	B	15	Antonillæ virginis	18
11	C	24	Clementis Pa. & conf.	19
19	D	13	Domitiani	20
	E	12	Thomæ apostoli	21
8	F	11	Theodosiæ virginis	22
16	G	10	Seruuli confessoris	23
	A	9	Adami, Eua	24
5	B	8	Natiuitas Domini	25
	C	7	Stephani protom.	26
13	D	6	Ioan. apolt. & Euangel.	27
	E	5	Puerorum innocen.	28
2	F	4	Thomæ Episc. & mar.	29
10	G	3	Sabini episc. & marty.	30
18	A		Pridie Siluestri Papæ	31

Jam vellit Barbam Niclas,
Concipit virgo, Lucia oculos
 cecat,
Thomas credit,
Nascitur mundo Deus.

1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 0
 1
 2
 3
 4
 5
 6

De Anno & partibus eius.

Annus menses habet duodecim, Hebdomas duas & quinquaginta, & diem vnum. Dies verò trecentos sexaginta quinque, & sex horas.

*LXV, tria C, sex horas continet annus,
Hæ bissextilem dant quarto quolibet anno.*

Ex quot diebus constet unusquisq; mensis.

*April ter denos, Iun, Septemberq; , Nouember,
Vno plus reliqui, viginti Februus octo.*

*At si bissextus fuerit, superadditur vnus,
Mat Mat dicatur, sed festum non variatur.*

De anno Bissextili.

Annus bissextilis dicitur, in quo dies vnus intercalatur, hoc est, inseritur, ante festum Matthiæ, 6. Calend. Martij.

*Bissextum sexta Martis tenuere Calenda,
Posteriore die celebrantur festa Mathiæ.*

De nu-

*De numero Calendarum,
Nonarum ac Iduum in sin-
gulis mensibus.*

Prima dies mensis cuiusq; est dicta Calende;
Sex nonas Maius, October, Iulius & Mars;
Quattuor at reliqui; dabit Idus quilibet octo;
Inde dies alias omnes dic esse Calendas;
Quas retro numerans dices à mense sequente.

De 4. anni temporibus.

Dat Clemens hyemem, dat Petrus Ver cathe-
dratus,
Aestuat Urbanus, autumnat Symphorianus.

Manilius.

Aestas à Geminis, Autumnus virgine surgit,
Bruma sagittifero, Ver piscibus incipit esse.

*De Aequinoctijs anni &
Solstitijs.*

Lampert, Gregori, nox est aequata diei,
Vitus, Lucia, sunt duo Solstitia.

Ieiu-

Feiunia quatuor tempo- rum Anni.

Post Crux, post Cineres, post Spiritus atque
Lucia,
Sit tibi in Angaria quarta sequens feria.

De Festis immobilibus.

Sex sunt ad Puri, bis sex sunt vsq³ Philippi,
Ad Iacobum totidem, nauē sunt ad Michaëlem,
Sex ad Martini, sex ad natalia Christi,
Adde dies octo, totus complebitur annus.

Qualitates quatuor par- tium Anni.

Aestas sicca calens, Autumnus siccatur & algens.
Friget & humet Hyems, calidum Ver sitit hu-
mensq³.

De tempestatibus.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:
Si fuerint venti, designant praelia genti:

Si fue-

Si fuerint nebula pereunt animalia quaeq;
Si nix, aut pluuia, designat tempora cara.

De praesagijis Lune.

Pallida Luna pluit: rubicunda stat: alba serenat.

Basilius.

Luna si tertio die post conjunctionem
tenui puraq; luce fulserit, stabilem serenita-
tem spondet: Sin autem nigra fuerit, plu-
uias portendere creditur:

At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phoebe.

Speculum

quotidianae poenitentiae.

O homo considera tria praesentia

1. Malum commissum
 2. Bonum omissum
 3. Tempus amissum
- De his ex corde in genitricem.

2

O homo intellige tria praesentia

1. Vitae breuitatem
 2. Salvandorum paucitatem
 3. Salvandi difficultatem
- Et vitam emendare discere

Benefacta male beata
Punij
malefacta castros

¶ Homo cogitat 3 tria futura
1. mortem quā nihil
 miserabilius
2. iudicium quo nihil
 terribilius
3. infernum quo nihil
 intolotabilius.

¶ Tunc libe-
rabis ab
hisc

S
e
s
t
d
t
n
p
f
c
q
p
p
s
a
m
t
o
i
a
d



FERIA PRIMA.

I.

B E N E D I C T I O matutina.

OMNIPOTENS & misericors DE-
VS, qui es æternus Pater, Filius &
Spiritus sanctus, trinus in personis, vnus in
essentia, verus ac æternus DEVS, maie-
statem tuam diuinam celebros, misericor-
diam tuam ineffabilem laudo, virtutem
tuam altissimam magnifico, quod me hac
nocte præterita saluum & incolumem ex
paterna & inenarrabili bonitate tua con-
seruasti, meq; contra omnes insidiosas ma-
chinationes diaboli communitum secure
quiescere, & rursus ad lucem huius diei
peruenire fecisti. Tu es Deus, qui me de
portis vmbrae mortis exaltas, & de pote-
state tenebrarum me eripis. Benedic igitur
anima mea DOMINO, & omnia quæ intra
me sunt nomini sancto eius, qui propicia-
tur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat
omnes infirmitates tuas, qui redemit ab
interitu vitam tuam, & coronat te gratia
ac miserationibus, qui replet bonis desi-
derium tuum, ac protegit te à iuuentute
C tua

tua, qui custodit omnia ossa tua, ita vt no-
 vnum illorum conteratur, tibi regi seculo-
 rum immortalis, invisibili, soli sapienti DEO
 sit honor & gloria in secula seculorum.
 Ad te D O M I N E de luce vigilo, sitit ad te
 anima mea, concupiscit te caro mea, æter-
 ne DEVS illustra in hac aurora mentē no-
 stram coruscatione & splendore sapientiæ
 tuæ, vt in sensibus nostris exoriatur & illu-
 scescat Christus, verus Lucifer, quasi lucer-
 na fulgoris in loco caliginoso, sanctifica
 animam meam Domine, & rege volunta-
 tem meam, vt hunc diem sacrum sanctis
 peragam meditationibus, tuq; in me opus
 tuum habeas. Da populo tuo gratiam, vt
 hodie à nostris operibus desistentes sinamus
 te in nobis operari peccata nostra per
 infirmitatem carnis contra te, profestis
 diebus commissa deploremus, & tibi per
 filium tuum reconciliati pro tuis benefi-
 cijs gratias agamus, atq; vacantes à labo-
 re manuario feriemur quoq; à cogitatio-
 nibus immundis & operibus pravis, ad
 seruiendum tibi in beneplacito tuo, hoc
 enim est spirituale & gloriosum sabba-
 thum, tibiq; DEO nostro gratissimum.
 Tibi nunc D O M I N E commendo animam
 meam, intellectum, fidem, memoriam, vo-
 lunta-

tiam, quam sapientiam prædicat tuam, opus est admirabile altissimi, magnus es Domine, qui fecisti eum, & iussisti iter suum à summo cœli vsq; ad extremum eius excurrere, ornamentum cœli est gloria stellarum, quæ excubias agunt, & non deficient nec lassabuntur in vigilijs suis. Domine Deus noster, quàm inclytum est nomen tuum in vniuersa terra, quàm eleuata est magnificentia tua super cœlos, videbo opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti, & annuntiabo inter gentes gloriam tuam, in omnibus populis mirabilia tua. Benedico tibi sancte Pater, æterne Deus, quod vniuersum orbem terræ, & quicquid in rerum natura est & viuit, verbo potentiæ tuæ condidisti, & emitendo spiritum tuum viuificas. Magnifico te salutare meum, quod mare & omnes aquas scaturiginum, riuorum & fluminum parasti, illisq; varios pisces & omnis generis aquatilia producendi virtutem indidisti, ac constituisti hominem de limo terræ, effigiatum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersos, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas suas. Præsertim autem
te lau-

Gratiarum actio pro creatione. 5

te laudo creatorem meum, quod me vtero
matris meae contentum, mirabiliter fouen-
do nutriuisti, atq; inde extractum non coe-
cum, surdum, mutum, claudum nec muti-
lum, sed sanum & integrum omnium
membrorum constitutione formasti, rati-
onem & omnes sensus mihi dedisti, meque
contra omnia pericula protegis, ab omni-
bus malis liberas & custodis, haecq; omnia
mihi secundum paternam benignitatem
tuam, sine vllis meis viribus & meritis
praestas, vt cognoscatur tam potentia,
quam misericordia tua in me, omnisque
lingua confiteatur tibi: fac **DOMINE** cum
seruo tuo misericordiam, vt & os meum
te iugiter celebret, ne beneficiorum tuo-
rum immemor incidam in vitium ingrati-
tudinis, neque creaturarum tuarum mini-
sterio abutar ad vanitatem. Lauda nunc
anima mea Dominum, laudabo eum in vi-
ta mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero,
omnis spiritus laudet dominum, Halleluia.

III.

**PETITIO REMISSIO-
nis peccatorum.**

Iuste & misericors **DEVS**, ego miser ho-
mo & ingens peccator, agnosco horri-
bilem

C 3

bilem naturæ meæ contaminationem. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis enixa est me mater mea, hæcque mea hæreditaria mala quotidianis cumulaui transgressionibus, siquidem cuncta cogitatio humani cordis prona est ad malum omni tempore, præuaricationes meæ plures sunt arena maris, cuius non potest iniri numerus, ea propter commertus sum iram tuam iustissimam, & æternas pœnas, quæ conscientiam meam excruciant, hoc ego expendens detestor meipsum, quod te DEVM altissimum offendi, animam meam condemnans. Ah Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Si volueris contendere cum homine, non poterit tibi respondere vnum pro mille. Quocirca supplico tibi, miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & pro multitudine miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Propitius esto mihi peccatori propter nomen sanctum tuum, sana animam meam, quia peccaui tibi. Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, secundum misericordiam tuam me-

am memento mei tu propter bonitatem
tuam domine. Reminiscere miserationum
tuarum, quæ à seculo sunt, & desine ab ira
tua contra nos, Non in perpetuum irasce-
ris, nec in æternum comminaberis, Domi-
ne, ne secundum peccata nostra facias no-
bis, neq; secundum iniquitates nostras re-
tribuas nobis. Misericordissime DEVS fa-
teor equidem, quod vires & opera mea
non possint flagitia mea expiare seu abo-
lere, sed tantummodo obedientia & mors
filij tui Domini nostri Iesu Christi, agni im-
maculati sit lytron & precium sufficiens,
non tantum pro meis, sed etiam pro totius
mundi peccatis. Propter hunc mediato-
rem meum condona quæso impietates me-
as, & ne imputes mihi delicta mea, ab oc-
cultis meis munda me domine, & ab alienis
parce seruo tuo, tunc immaculatus ero, &
emundabor à delicto maximo. Infundo
quoque cordibus nostris consolationem,
pacem ac læticiam Spiritus sancti, qui in
nobis restituat amissam imaginem & simi-
litudinem tui, extinguendo omnes motus
affectuum, pugnantium cum tua volunta-
te, & inchoando in nobis vitam nouam
tibi placentem, vt seruiamus tibi DEO
æterno, in vera sanctitate ac iusticia, cun-

C 4

ctis

§

Feria prima,

Etis diebus vitæ nostræ ad sanctificationem nominis tui diuini, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

IIII.

PETITIO CONSERVATIONIS Ecclesiæ.

DEVS pater, immensæ bonitatis & misericordiæ, qui tibi ex genere humano in his terris Ecclesiam sanctam catholicam per verbum & spiritum tuum colligis, tibi **D**OMINE supplico, teq; obsecro, vt hunc pusillum gregem, qui sermonem tuum amplectitur, profitetur & propagat, digneris in doctrina vera & confessione salutari, atq; in legitimo sacramentorum vsu, nec non in puritate vitæ firmiter & constanter seruare ad sanctificationem nominis tui diuini. Protege cymbam & nauiculam tuam in medio maris impetuosi, inter omnes turbinum procellas & terribiles inundationes fluctuantem, ne demersa intereat. Sustenta Ecclesiam tuam, quæ super petram firmam ædificata innititur tibi, fundamento solido & immobili. O Deus exercituum respice de cælo, & visita vineam tuam, ac perfice eam, quam planta-
uit

Petitio conseruationis Ecclesiae.

uit dextera tua, & quam tibi elegisti. Circunda eam sepe ac scuto tuo, vt palmites eius transplantati & purgati copiosum tibi ferant fructum. Communi nos oues tuas intra septa tua ab irruptionibus & dispersionibus, ne quisquam nos ex manu tua rapiat. Guberna totum statum Ecclesiasticum cum omnibus sibi commissis, vt in vera religione & pietate conseruetur. Iesu Christe, fili DEI viui, adiunge nos diuino illi agmini, quod te colat in omnem perpetuitatem, vt simus ciues regni tui cū omnibus sanctis, atq; in hac Ecclesia nos conserua, quæ verè est catholica collecta ex varijs membris multarum gentium, sed coniunctis tibi in eadem confessione & vero vsu sacramentorum. Spiritus sancte DEVS, regenera nos per verbum tuum, & inchoa in nobis initia vitæ æternæ, ad ambulandum in beneplacito tuo, ne simus hypocritæ, aut membra inutilia. O sancta Trinitas, & indiuisa vnitas, reprime diabolum, spargentem blasphemias contra tuam doctrinam, ne erigantur commentitia numina, neue stabiliantur idololatricæ inuocationes, ad obscurandam gloriam tuam. Infringe potentiam hostium tuorum, qui immani odio cum suis satellitibus grassantur,

& conſpiratione facta aduerſus Eccleſiam tuam debacchantur, vt ex ea faciant ſtabula luporum & latrocinia barbara. Coërce quoq; carnem noſtram petulantem, ne humilem Euangelij prædicationem deſpiciat, neue procacitate & furijſ libidinum exagitata nos ad declinandum à recto tramite ſolicitet. **D E V S** tu iterum viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te, gaudebunt omnes, qui ſperant in te, perpetuò exultabunt, & tu **D O M N E** habitabis in eis, vt glorientur in te omnes, qui diligunt nomen ſanctum tuum, Amen.

V.

P R O C O N C I O N A T O -
ribus verbi.

Benigniffime Deus, qui per filium tuum dominum noſtrum **I E S V M C H R I -**
S T V M nobis mandaſti, vt à te petamus, operarios in meſſem tuam extrudendos. Te rogo per eundem filium tuum, da nobis continua ſerie Episcopos Theodidactos, doctores ſinceros, paſtores bonos, prædicatores, & operarios ſalutares, qui Eccleſiam tuã, quam filius tuus acquiſiuit ſanguine ſuo precioſo, fideliter gubernent, ad amplificandum honorem nominis tui
diuini

diuini, & ad multorum hominum salutem. Largire nobis præcones purioris doctrinæ magno numero & virtute multa, illosque tua luce & gratia illuminatos rege, vt retinentes formam sanorum verborum de essentia & voluntate tua, nos piè instituant in omni sapientia & prudentia spirituali. Concede omnibus ministris Ecclesiæ donum linguarum, quo instructi fundamentum veræ doctrinæ, sermonem veritatis & verba vitæ rectè secare possint. illustrentque discrimen legis & Euangelij, atque sonent ea, quæ sunt analogæ fidei ad ædificationem Ecclesiæ tuæ. Fac omnes ministros Euangelij idoneos ad docendum & exhortandum per doctrinam sanam, vt corda perterrefacta sensu iræ tuæ diuinæ, & oppressa ærumnis veram inueniant consolationem, nec non qui contradicentes veritati refutare & conuincere, illisque os impudens obturare possint. Præterea tribue omnibus & singulis sacerdotibus, vt sint typi fidelium in sermone & conuersatione honesta, fiantque omnia omnibus, vt multos tibi æterno DEO lucrifaciant. Perfice eos, vt sint vasa misericordiæ tuæ & organa salutaria, atque in omnibus commendent seipso tanquam DEI ministros

in ro-

in tolerantia multa, in afflictionibus, periculis & anxietatibus, ne propter variam huius mundi ingratitude & persecutionem resiliant deserentes officium suum, nec sint arundo à ventis agitata, neque molliciem carnis curent, sectando eius delicias & adulando regibus. Præserua nos pater clementissime à mercenarijs infidelibus, qui tantum seipsum prædicant & pascunt, studentes hominibus placere, & religionem ad voluntatem suam inflectunt, vt inde quæstum faciant, cauponantes & adulterantes verbum, transformando Evangelium in pompam & aucupia opum. Auerte mala exempla concionatorum, ne quod verbo ædificant, vita impura rursus destruant. Iuua nos mi Pater cœlestis, vt sanctificetur nomen tuum apud nos per sinceram doctrinam, nosque vt filios DEI decet piè viuamus in CHRISTO IESU Domino nostro, Amen.

VI.

ORATIO PRO AUDITORIBUS
verbi diuini.

PIÏSSIME DEVS, qui ex mera diuina charitate & misericordia nobis miseris hominibus

Oratio pro auditoribus verbi diuini. 13

minibus verbum tuum saluificum pure tradidisti, cibum vegetantem corda nostra ad vitam æternam. Est enim Euangelium potentia tua diuina, quæ potest saluas reddere animas nostras. Proinde oro te pro cunctis auditoribus verbi tui, resera mentis nostræ aures, vt doctrinam tuam incorruptam vtiliter & magno cum fructu audientes, summa atque seria attentione animi percipiamus & amplexemur ea, quæ ad confirmationem fidei, & emendationem vitæ nostræ necessaria sunt, Habitet itaque sermo tuus inter nos opulenter in omni sapientia, & impertire nobis gratiam, vt diuinas conciones, non tanquam sermonem hominum, sed sicut verè est, sermonem DEI suscipiamus, illoque dignè ambulantes, quemadmodum filios DEI decet, viuamus in omni pietate & honestate, ne simus tantummodo auditores, sed etiam factores verbi, OCHRISTE, fili DEI, fons omnis misericordiæ & pietatis, qui es vniuersi gregis dominus & archiepiscopus animarum nostrarum, sis tu efficax per ministerium, loquere intus in cordibus nostris vocem patris tui, fac vt eam verè cognoscamus, & distinguamus ab omnibus vlulatibus luporum, atq; vt verbum

bum tuum auditum suscipiamus ad doctrinam, emendationem, consolationem & institutionem, quæ est in iusticia, ne fluctemus & circumferamur quouis vento doctrinæ. Tu Spiritus sancte æterne DEVS, accende frigida corda nostra igne amoris tui, fove nos salutari calore tuo, & emenda gelu nostræ naturæ, vt semen verbi tui hæreat in cordibus nostris, & altè radices agat, fiatq; salutaris stercoreatio sabuli nostri infœcundi, vt foris tuam doctrinam seriò amplectamur, & intus in anima efficaciam tuam experiamur, atq; erumpentes ex meatibus terræ, hoc est, eluctati ex varijs difficultatibus & tentationibus vberimos tibi proferamus fructus. Prohibe æterne DEVS, ne diabolus sementem verbi tui euellat ex cordibus nostris, neue sterilescat illa in nobis, ac ne simus obliuiosi auditores, qui verbum diuinum sibi ad iudicium audiunt. Similiter confirma nos, ne in tempore tentationis in cruce & aduersitatibus abnegantes à fide desciscamus, neq; semen verbi tui apud nos inter sollicitudines, diuitias & voluptates huius seculi soffocetur, sed vt nos deposita omni immundicia & redundantia maliciæ, cum mansuetudine suscipiamus sermonem

monem

monem insitum, eumq; retineamus in corde bono, afferentes fructum per patientiam, in **CHRISTO IESU** Domino & saluatore nostro, Amen.

VII.

PRECATIO CONTRA
Pseudopphetas.

DEVUS amator generis humani, tu nos ex immenso favore præmonuisti, ut caueremus pseudopphetas, in vestitu ouium ad nos venientes, qui intrinsecus sunt lupi rapaces. Da quæsumus **DOMINE** gratiam, ut dilectionem veritatis recipientes, vitemus spiritus mendacij, vna cum omnibus erroribus & specie falsi, ne dimoueamur à sensu vero, neque turbati aberremus à salutis nostræ scopo, sed constanter & firmiter in tuo verbo vsque ad finem perseuerantes, in vnitæ veræ fidei catholicæ & confessionis Christianæ maneamus, ut non decipiamur vlllo modo, neque signis neque prodigijs mendacibus, seu vlla deceptione iniusticiæ per versutiam hominum, qui nos adoriuntur ad imponendum nobis, sed veritatem sectantes in caritate immunes ab omnibus corruptelis

ptelis & integri in professione verbi tui,
 atq; immobiles simus. Præserua nos o-
 mnipotens ac æterne **DEVS** ab omnibus
 fanaticis opinionibus, à spiritibus vertigi-
 nosis, qui seminant errores & factiones
 Ecclesiæ exitiales, à falsis doctoribus, clam
 inducentibus sectas perniciosas, etiam do-
 minum, qui illos mercatus est abneganti-
 bus, per quos via veritatis maledictis affi-
 citur, quiq; per auaritijs factitijs sermo-
 nibus de suis auditoribus negociantur, ad
 seducendum eos. Custodi nos à lupis
 grauibus & atrocibus, qui non parcunt
 gregi, sed crudeliter miseris ouiculas ve-
 neno mendaciorum & falsæ doctrinæ iu-
 gulant. Similiter à viris peruersa loquen-
 tibus, vt abducant discipulos post se, &
 distractiones ad lacerandam Ecclesiæ vni-
 tatem pariunt, ab hominibus corruptæ &
 prauæ mentis, dissensiones atque scandala
 varia excitantibus, à zizanijs, quæ inimi-
 cus, nempe diabolus, inter triticum bonum
 ferit ac spargit. Fac nos attentos, pijsime
DEVS, à furibus & latronibus animarum,
 qui corpus & animam occidentes ad tar-
 tara præcipitant. Conserua electos tuos,
 ne in errores seducti deflectant à veritate.
 Decurta dies malos in his periculosissimis
 tempo-

Precatio contra Pseudopphetas. 17

temporibus, interfice filium iniquitatis spiritu oris tui, & abole eum claritate aduentus filij tui. Sis tu pastor noster bonus æterne Pater, vt nihil nobis desit, in locis pascuorum nos collocabis, & ad aquas refectiois educes nos, animasq; nostras conuertes propter nomen tuum, ne confundamur in die illo, quum apparuerit IESVS CHRISTVS, filius tuus, qui tecum viuuit & regnat in vnitate spiritus sancti DEVS, per omnia secula seculorum, Amen.

VIII.

B E N E D I C T I O
vespertina.

O Mnipotens DEVS, pater domini nostri IESV CHRISTI, in occasu solis, qui iam reuertitur ad locum suum, tibi benedico, & toto pectore gratias ago, quod non tantum hodierno die halitum meum conseruasti integrum & vitalem, sed toto etiam vitæ meæ curriculo ad præsentem vsque horam & corpus & animam meam protexisti aduersus omnia pericula. Idcirco recensebo vesperi potentiam tuam, & cubitum me conferens, re-

D corda-

cordabor misericordiae tuae, consurge nunc
 anima mea, lauda nocte DEVM tuum, ef-
 funde in principio vigiliarum, cor tuum
 more aquarum coram DOMINO, exulta-
 bunt sancti in gloria, & lætabuntur in cu-
 bilibus suis, ad glorificandum nomen Do-
 mini. In lectulo meo per noctem quæram
 te sponsum meum, quem diligit anima mea,
 & spiritus meus scrutabitur beneficia tua,
 quæ in me contulisti. DEVS veritatum,
 qui aufers iniquitatem, ad te animam me-
 am leuo rogans, vt mihi omnia peccata
 mea, quæcunq; hodie cogitando, operan-
 do & omittendo feci, clementer remittas,
 & præsertim violatione sabbathi, turban-
 do quietem tuam. Da pacem & tranquil-
 litatem conscientiae, ne mordeat eam ver-
 mis arrodens: vide tribulationem & do-
 lorem animæ meæ, ac dimitte vniuersa
 delicta mea. O DEVS cœli & terræ, ad te
 clamamus in hoc vespertino tempore, vt
 nos recipias in tutelam tuam, ne hac nocte
 diabolus vllum ius in nobis reperiat. Vi-
 gila super nos æternæ saluator, ne nos ap-
 prehendat callidus tentator, quia tu nobis
 factus es sempiternus adiutor: tui enim
 sumus dormientes & vigilantes, siue viui-
 mus siue morimur, tu es DEVS noster.

Sta

Sta ergo pro nobis in excubijs, cum militia cœlestis exercitus angelorum tuorum, qui consummata bonitate & perpetua integritate repleti semper vident faciem tuam in cœlis. Arce à nobis & tugurijs nostris hostes nostros infensissimos, ne quid damni nobis inferant, & libera nos à filijs alienigenis, qui insidiantur vitæ nostræ. Protector **DEVS**, concede mihi placidum somnum, vt suauiter obdormiscam, ac quietam hanc degam noctem. In pace cubabo, pariterq; requiescam, quoniam tu Domine collocabis me, ita vt sim securus, extra omne periculum, atque abscondes me sub vmbraculo tuo, ne eueniat mihi vllum detrimentum. Etsi fuero in densissimis tenebris, tamen non formidabo. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Misericordia tua Domine subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, vt habitem in domo tua, in longitudine dierum, & laudem te in seculis seculorum, Amen.

•••••

D 2 FERIA

FERIA SECUNDA.

I.

B E N E D I C T I O

matutina.

CONFITEOR tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quod me hac nocte elapsa fecisti tranquille dormire & quiescere, rursusq; incolumem euigilare, ac excusso mihi somno aperuisti oculos meos, dans illis vim viuendi, & aspiciendi lucem matutinam, quæ nobis iam exoritur. **DOMINE** misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. **DEVS** iniqui insurrexerant contra me, & synagoga potentium quæsierant animam meam, tu autem **DOMINE** fuisti susceptor meus, ne illorum desiderio traderer. Nisi tu **DEVS** fuisses munimentum meum, innumera mala absorbuissent me, quo minus incolumis resurrexissem ad confitendum nomini tuo. Nisi verbum tuum fuisset consolatio mea, tunc procul dubio periissem in miseria mea, in æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia per ipsas viuificasti me. Ad te domine

domine oculos meos iam tollo, qui habitas in coelis, & inuoco te in hoc diluculo, vt manè præoccupet me misericordia tua, cito anticipet me clementia tua, manè præueniat me gratia tua tanquam aurora, quæ exoriens diffundit radios suos in omnes mundi partes, & sicut lux auroræ, quando oritur sol, manè quando absq; nubibus rutilat, ita quoque nobis præsta sereni vultus tui splendorem, & illustra faciem tuam super nos, vt prælucente nobis verbo tuo, per totum hunc diem iugiter delectemur, & in mandatis tuis circumspectè ambulemus, ne cœcutientes incurramus tenebras, neque in meridie palpemus sicut noctu. **DOMINE** tu es lux & salus nostra, illumina quæso mentis nostræ visum, vt quemadmodum ex crassa huius noctis caligine ad lucem diei tua gratia peruenimus, ita quoque omnes tenebras interiores & exteriores euitantes cernamus voluntatem tuam, atque in præceptis tuis tanquam filij lucis discretè versemur, non enim sumus filij noctis, sed diei. Ideoque **DEVS** protector vitæ meæ, ne derelinquas me, elationem cristarum & superciliorum ne des mihi, ab interitu irreuerenti custodi animam meam. **Auerte oculos**

D 3 **meos**

meos, ne videant vanitatem, in via tua vi-
uifica me. Da gratiam miserator Domine,
vt qui me offensurus est, effodiam ocu-
lum, abijciendo concupiscentias illicitas
& turpes. Ad te altissime D E V S suspiro,
expectans auxilium tuum, vt me hodie &
quotidie protegas ab incurfu & dæmonio
meridiano, à sagitta volante per diem, à
bombardarum telis & iaculis omnibus, ab
inimicis visibilibus & inuisibilibus. Esto
mihi Domine in hoc die protector poten-
tissimus, firmamentū fortitudinis, tegmen
ad ardorem & æstum, umbraculum con-
tra meridiem, custodia ab offensione, ad-
iutorium contra lapsum, exaltans animam,
illuminans oculos, dans sanitatem & be-
nedictionem in **CHRISTO IESV Do-**
mino nostro, Amen.

II.

GRATIARVM ACTIO
pro redemptione.

IESV fili **D**E I viui, qui es verbum æter-
num, quod in principio erat, vera & sub-
stantialis imago æterni Patris tui, chara-
cter & splendor gloriæ eius, ab eodem an-
te omnia secula natus, in vna indiuisa es-
sentia,

Gratiarum actio pro redemptione. 23

sentia, pari maiestate & honore. Te adoro
lumen de lumine, **D E V M** verum de
D E O vero, genitum non factum, consub-
stantialem Patri, per quem omnia facta
sunt, tibi que gratias ago, quod constituto
tempore propter nos homines & propter
nostram salutem, ex **M A R I A** virgine illi-
bata humanam naturam suscepisti, ut me
miserum & damnatum hominem redime-
res ab omnibus peccatis, a morte & pote-
state satanæ, non quidem auro & argento,
sed obedientia tua perfecta, tuoque sancto
ac precioso sanguine. **O** Christe misericor-
dissime **D E V S**, quam admiranda & inæ-
stimabilis est charitas tua erga totum ge-
nus humanum, quando quidem tu iustus
pro iniustis passus es, nosque reconciliasti
Patri tuo, iram eius sanissimam expians.
cōdonādo nobis delicta omnia, deleto chi-
rographo, quod erat contrariū nobis per
decreta, & illud sustulisti e medio affixum
cruci, expoliatosque principatus ac potesta-
tes infernales, ostentasti palam triumphans
de illis per temetipsum, atque resurrectio-
ne tua salutifera ex mortuis reparasti no-
bis iusticiam veram, quæ consistit in remis-
sione peccatorum. **Domine I E S V**, qui
es saluator noster merito & efficacia, con-
D 4 cede

cede nobis gratiam, vt sacratissimæ passionis tuæ fructus sit in me efficax ac salutaris; ne pereat vnquam in me labor & dolor tuus, quem sustinuisti pro me. Tu orator æterne, sermo Patris & idea sapientiæ eius, qui foris nobiscum loqueris per Euangelium, affare & interius corda nostra anxia viuifica tuo verbo & consolatione efficaci, vt memores obedientiæ & victimæ tuæ consummatæ, pro peccatis nostris factæ, sentiamus in animis nostris veram læticiam ac pacem in spiritu sancto, & tibi pro redemptione tua indefinenter gratias agamus, atque posthac non nobis, sed tibi viuamus, qui pro nobis mortuus es & resurrexisti. Da gratiam, vt & ego peccatis similiter emortuus reuiuiscam & resurgam in te, ac sim propriè tuus, in tuo regno permanens, tibiq̃ue spiritu spontaneo liberè seruiens in iusticia & sanctitate tibi placente, ac tandem in nouissimo die resuscita quoque corpus meum, ad beatam & immortalem vitam, æternamq̃ue gloriam, vt sic corpore & anima redemptus ab omnibus malis, in perpetua salute ac beatitudine læter coram te, cum omnibus electis tuis per infinita secula seculorum, Amen.

P E T I

III.

PETITIO FIDEI.

ÆTerne **DEVS** Pater cœlestis, qui es
vitæ & salutis nostræ causa, origo at-
que consummata perfectio, æternum ac
infinite bonum, te rogo in nomine **IE-**
SU CHRISTI filij tui, vt ex auditu ver-
bi tui per Spiritum sanctum in corde no-
stro, veram noticiam tui, assensum & fidu-
ciam in promissionem gratiæ tuæ plantes,
ad cognoscendum te solum verum **DE-**
VUM, & quem misisti **IESUM CHRI-**
STVM, vt impleti agnitione voluntatis
tuæ in omni sapientia & prudentia spiri-
tualiter ambulemus digne te **DOMINO**, per
omnia placentes tibi in operibus bonis,
fructificantes & crescentes in agnitione
tui, & omni robore corroborati, iuxta po-
tentiam gloriæ tuæ, ad omnem toleranti-
am ac patientiam, cum gaudio tibi serui-
amus, atque abundemus fide, sermone, sci-
entia, & omni diligentia. Huius rei gratia
flecto genua mea ad te, Patrem **DOMINI**
nostri **IESU CHRISTI**, ex quo omnis
paternitas in cœlis & in terra nominatur,
vt des nobis secundum diuitias gratiæ tuæ
virtutem, qua & confirmemur per spiri-
tum

rum tuum in internum hominem, & habitet CHRISTVS per fidem in cordibus nostris, fixis in caritate radicibus, & fundamento iacto, vt valeamus assequi cum omnibus sanctis veram essentiae & voluntatis tuae noticiam, iuxta verbum tuum nobis patefactum. Suffulci nos, vt maneamus in orthodoxa fide, firmi & constantes ad resistendum omnibus inferorum machinis, atque de fide in fidem proficientes consequamur iusticiam illam, quae coram te valet per redemptionem in CHRISTO IESV, quem tu proposuisti reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine, vt eius gratia iustificati habeamus pacem conscientiae, & accessum liberum ad te Patrem. Sancte & misericors DEVS, ad te clamo, qui in nobis fidei scintillam per verbum tuum exuscicasti, vt hoc bonum opus, quod in nobis coepisti, perficias, atque perducas vsque ad diem Domini nostri IESV CHRISTI, quo magis ac magis exuberantes in agnitione, omniq̄ue intelligentia probemus potiora, & simus sinceri sine offensa in diem eius, repleti fructibus iusticiae. Proinde adauge nobis fidem & confirma hoc, quod operatus es in nobis, ne in cruce & aduersitati-

litatibus, tanquam solo iactati naufragium
faciamus. Succurre imbecilli & langui-
dæ fidei meæ, quæ instar grani synapis exi-
gua est, & indies succrescens in te radices
agat, ac immobilis maneat semper, ne illa
inter tot sectas & schismata huius mundi
labascat aut deficiat. Extingue dubitatio-
nes de tua voluntate, hærentes in hac cor-
rupta natura, ne vnquam tibi æterna &
temporalia bona promittenti diffidamus,
similiter da gratiam, ne fides nostra sit nu-
da, inanis aut mortua, sed efficax, quæ per
caritatem operetur, vt finem fidei repor-
temus, nempe salutem animarum nostra-
rum, in **CHRISTO IESU** Domino no-
stro, Amen.

III.

PETITIO REGNI

DEI.

Miserator Domine, qui ex mera bonita-
te tua nos indignos homines ad re-
gnum tuum spirituale vocasti, in quo po-
pulum credentem & obedientem tibi vo-
ce ministerij colligis, cui te tuaque benefi-
cia communicas, eum gubernas & conser-
uas, præsens in cunctis aduersitatibus, do-
nec

nec eum ad te assumas in altero seculo, ad vitam æternam. Oro te per & propter filium tuum, Dominum nostrum **I E S U M C H R I S T V M**, doce infirmas mentes, rege voluntatem & corda nostra, ut primum & ante omnia quæramus regnum tuum, & iusticiam eius, tuque in nobis fulgeas per veram fidem, & illa amicti studeamus operibus iusticiæ, quæ nobis mandasti. Fac nobiscum Domine misericordiam hanc, ut verbum tuum purè ubiq; terrarum sine omni corruptela doceatur, nosque rationem nostram captivam ducentes in eius obsequium, demolitis consilijs & omni celsitudine, quæ extollitur aduersus cognitionem tui, obediamus Euangelio in simplicitate fidei, ad beneplacitum voluntatis tuæ, ut laudetur gloria gratiæ tuæ, & exhibeatur tibi honos debitus, atque cultus acceptus. Da igitur Pater clementissime Spiritum sanctum in corda nostra, ut tuo sancto verbo per tuam gratiam credamus, ac piè hîc temporalem, illic æternam agamus vitam, sicut decet ciues & subditos regni tui. Effice nos idoneos ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eripuisti nos à potestate tenebrarum, & transtulisti nos in regnum **F I L II** tui dilecti,
per

per quem habemus redemptionem in sanguine ipsius, nempe remissionem peccatorum, ut simus in fide fundati & stabiles, ne dimoueamur à spe Euangelij, sed irreprehensibiles & inculpati in conspectu tuo, tanquam filij lucis, in omni pietate & honestate ambulemus. Cum verò regnum tuum non sit cibus & potus, nec consistat in sermone, ceremonijs & traditionibus humanis, sed sit iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto, concede nobis, ut denuo nati efficiamur cohæredes vitæ æternæ, & corda nostra sursum tollentes, ubi **C H R I S T V S** est ad dexteram tuam, quæramus ea, quæ sunt supra nos, non quæ in hoc caduco seculo. Adesto nobis in hac vltima mundi ætate, ut induti octo operibus beatitudinis, simus pauperes spiritu (quorum est regnum cœlorum) luctuosi de peccatis nostris, mites, esurientes & sitientes iusticiã, misericordes, mundi corde, pacifici, patientes in persecutionibus, ne accipiamus aut demus vlli offensionem, sed exerceamus fidem nostram sex operibus misericordiæ, cibando esurientes, potando sitientes, vestiendo nudos, excipiendo peregrinos, consolando infirmos, & visitando captiuos, ut per tuam exundant-

undantem misericordiam audiamus in iudicio extremo hanc lætissimam & iucundissimam vocem filij tui, dictari: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi, qui tecum vivit & regnat in vnitate Spiritus sancti **D E V S**, per omnia secula seculorum, Amen.


V.

**PRO MAGISTRATV
politico.**

Potentissime **D E V S**, rex coeli & terræ, qui nobis mandâsti, vt deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarum actiones, pro cunctis hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis fierent, quos pro tua sapientia ordinâsti rectores orbis terrarum, & illis imperia huius mundi iuxta beneplacitum tuum distribuisti, vt sint executores legis tuæ diuinæ, ad sancendam pacem & concordiam, oppressos defendendo, & flagitiosos coercendo. Tibi **D O M I N O** dominorum supplico, pro Romana Cæsarea maiestate, pro omnibus regibus, principibus, simulq; consularijs, præfectis & cunctis

His gubernatoribus, pro omni civili Magistratu, cuiuscunque ordinis & gradus sunt. Inprimis autem pro duce & magistratu meo ordinario, sub cuius ditione & tutela ego viuo, ac pro senatu huius politice & urbis, vt conserues eos omnes diuissimè superstites & incolumes, illustrantes, & rege voluntates eorum agnitione verbi tui purioris, vt prudenter agant & erudiantur, seruiantq; tibi in timore, & exultent in tremore. Apprehendant disciplinam, & osculentur filium tuum saluatorem mundi, ne quando exardescat ira tua, & pereant in via, sed sperantes in te **DEVM**, sint nutritores ministrorum Evangelij, & præbeant Ecclesie tuæ hospitia. Largire quoq; gratiam omnibus gubernatoribus, vt subditos suos in confessione Euangelicæ & incorruptæ doctrinæ tueantur, omnem idololatriam, nefarios & falsos simulachrorum cultus abrogent, ne posteritati vlla peccandi relinquatur occasio. Suggere omnibus in sublimitate constitutis consilia sobria, industriam, fortitudinem animi, vt bonos & innocentes defendant, malos verò & inquietos puniendo coërceant, ad auferendum malum de medio terræ, ne deformetur gloria maiestatis

statis tuæ, ne impediatur subditorum salus, neque incrementum Reipublicæ turbetur. Omnipotens DEVS, in cuius manu est cor regis, te rogo, vt omnium tyrannorum & inclementium procerum animos ad pietatem & mansuetudinem flectere digneris, ne bella temerè suscipiant, quibus verbi tui cursus impeditur, terrenæ facultates deastantur, & subditi suis emunguntur opibus: Sed da illis cor pacificum, & studiosum concordie Christianæ, vt cogitent, se ministros tuos esse, ad prouehendam gloriam tuam, & ad propulsandam à suis subditis vim iniustam, vtentes gladio, tanquam vltiores iræ diuinæ, in exterminandis sceleratis. Da igitur mi DEVS, vt superiores in hoc mundo cognoscant, te supremum & altissimum timendum, sintq; circumspecti, ne abutantur sua autoritate & potentia contra iusticiam, sed sciant se esse mortales, quorum etiam DOMINVS est in cœlis, ante cuius tribunal omnes sistentur, rationem reddituri tibi iudici viuorum & mortuorum, qui regnas & imperas per omnia secula seculorum, Amen.



O R A

VI.

ORATIO PRO
subditis.

Clementissime Deus, nutui tuo omnia
parent, quæ in cælo & terra sunt, voci
tuæ obediunt venti & mare confitendo
maiestatem tuam. Tibi & nos morem ge-
rere æquum est, qui mandasti omnibus
subditis debitam obedientiam & reueren-
tiam suo ordinario præstare Magistratui,
& hanc subiectionem non tantum propter
vitandas pœnas, sed etiam ad retinendam
bonam conscientiam nobis iniunxisti.
Rogo te altissime **D E V S**, da nobis vni-
uersis & singulis hominibus, vt tibi in pri-
mis omnipotenti **D E O** in omnibus ser-
uiamus vera fide & timore, deinde vt
omnes priuatæ personæ suo politico Ma-
gistratui in cunctis rebus, quæ non pugnât
cum verbo tuo, obsecudent, morem ge-
rentes cuius humanæ ordinationi, propter
te Dominum, non solum regi quasi præ-
cellenti, sed & præsidibus tanquam ab eo
missis, ad vindictam maleficorum, laudem
verò bonorum. Flecte & moderare corda
nostra, ne in eminentia constitutis suum
inuideamus honorem, neque eis obloqua-
E mur

mur aut obtrectemus, sed potius afficien-
tes eos honore, oremus pro illis, atq; cum
omni beneuolentia pendamus illis, quæ-
cumque iure ciuili & obligatione naturali
præstanda sunt: Custodi Rempubicam
à bello, seditionibus & dissidijs omnibus,
ne arma moueant subditi contra superio-
res suos: concede quoque misericors DE-
VS, ne inferiores & subiecti exquisitis &
nouis exactionibus, iniustis pensionibus &
tributis intolerabilibus onerentur, ne
durissima opprimantur seruitute, aut alio-
qui violentia & tyrannide expilentur. Si-
cubi autem in subditos pios & tibi addi-
ctos grassantur leones & lupi rapientes ab
eis pellem, ossaque eorum confringentes,
præsta afflictis tolerantiam, vt seruitutem
istam tristissimam, tanquam crucem &
pœnam pro peccatis suis, aut certè ad
probandam fidem & patientiam eorum,
à te DEO immissam, summa cum mansue-
tudine animi sustineant. Iuua nos mi pa-
ter in cœlis, vt tua consolatione ærumnas,
quæ in hac vltima & delira mundi sene-
cta indies crescunt, æqua mente feramus.
Exaudi gemitus supplicum tuorum, qui in
oppressionibus suis ad te vociferantur die
ac nocte, & opitulare illis, quemadmo-
dum

dum fecisti filijs Israël, quorum miseriam
atque pressuram grauissimam tandem aspe-
xisti, liberando eos à durissima seruitute
Egyptiaca, atque educendo eos ex fornace
terrea Pharaonis, per manum tuâ fortis-
simam & extentâ. Custodi nos æterne DE-
VS ab impio & idololatrigo Magistratu, ne
relinquas **D O M I N E** virgam peccatorum
super sortem iustorum, vt non extendant
iusti ad iniquitatem manus suas, neque in
mortali nostro corpore regnet peccatum,
sed tu rex gloriæ, Domine virtutum, qui
potens es in cœlo & in terra, dominare
membris nostris Spiritu sancto, per infini-
ta secula seculorum, Amen.

VII.

P R E C A T I O C O N T R A
hostes Ecclesiæ Dei.

A H **D O M I N E**, quàm multi sunt, qui tri-
bulant Ecclesiam tuam, multi insur-
gunt contra verbum tuum ad pessundan-
dum & extirpandum illud, vt in eius lo-
cum surrogent, & constituent execrandam
idolomaniam: Excogitant vafra consilia,
& insidiosas fraudes, ad exterminandum
confessores purioris doctrinæ, machinan-

E **2** **tur**

tur dolos ad perdendum pios de terra, parturiunt iniquitatem, & concipiunt dolorem: At tu **DOMINE**, fac eos abortire, sedent cum suis satellitibus in abscondito, tanquam leo, oculi eorum in pauperes directi sunt, insidiantur in occulto, quasi leunculus in spelunca sua, ad lacerandum & interficiendum sunt parati: distento enim gutture & faucibus apertis, linguaq; exerta conantur nos deuorare. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agunt, iudica illos **DEVS**, vt decendant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. **O DEVS** ne tradas nos in desiderium eorum, quoniam impius dixit in corde suo, oblitus est **DEVS**, auertit faciem suam, ne videat in finem. Exurge **DEVS**, exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum, exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas nos perpetuo, quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ & tribulationis nostræ? Adiuua nos Domine, & redime nos propter nomen tuum, ne quando dicat inimicus, præualui aduersus eum. Tu **DEVS** Zebaoth, expugna impugnantes nos, apprehende arma & scutum, & exurge

exurge in adiutorium nostrum, profer lanceam, & congregare cum his, qui persequuntur nos, ut cognoscamus in terra salutem tuam. Largire Magistratui nostro, vniuersis ducibus, & capitaneis exercitus populi tui victoriam contra hostes nostros: Tu enim es praesidium nostrum, in quo speramus, tu sternis omnes inimicos nostros, ut retro conuertantur & cadant, caelitus namque demittitur victoria, & non paratur copijs militaribus, nec expeditione magna. Non saluatur rex multitudine exercitus sui, neque giges liberatur per multam fortitudinem suam, fallax est equus in saluatione, neque liberabit quenquam per multum robur suum. Contere **DEVS** brachium impiorum, infringe potentiam eorum, & omnia consilia eorum fac irrita: dissipa eos, qui confidunt in multitudine sua, & gloriantur in lanceis atque sagittis suis. Fac Domine, ut gladio proprio amputetur superbia eorum, confundanturque omnes, qui oderunt te, & pudefiant iniqua agentes usquequaque, fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus tuus expellat eos, ut erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici nostri, conuertantur retrorsum, & erubescant valde velociter, Amen.

E 3

BENE-

B E N E D I C T I O
vespertina.

OMnipotens & misericors D E V S, tu fecisti lunam in tempora statuta, atq; inductis tenebris efficis noctem, in qua homines se recipiunt in cubilia sua dormitum, vt requiescant ab operibus suis, & membra fessa per somnum recreentur & consolidentur. Tibi ego iturus cubitum gratias agam, quod me per hunc diem ex sola misericordia tua custodiisti ab omni clade tragica & luctuosa, cum tribulor ad te suspiro, & sub vesperam recordabor nominis tui Domine, quoniam suaue est, vigiliis nocturnas praeuenient oculi mei ad commentandum de mirabilibus tuis, & lucubrationes meae semper erunt de magnificentia bonitatis tuae: misisti enim de caelo & liberaisti me, ac dedisti in opprobrium conculcantes me, propterea sacrificabo tibi voluntarie gratiarum actiones, & confitebor nomini tuo magno, quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. Domine D E V S salutis meae in hoc crepusculo vespertino tibi supplico, vt quemadmodum sol huius diei iam occidit, & abscon-

absconditur, ita tu quoque contegas & obtenebres iniquitates nostras, demergasque omnia peccata nostra in profundum maris, ne vnquam ab oculis tuis conspiciantur, neque in iudicium tuum prodeant: protector noster aspice **D E V S**, & respice faciem **C H R I S T I**, filij tui vnigeniti, pro nobis intercedentis, & miserere nostri, vt conuiuendo ad delicta nostra nobis sis propicius, ac remittas ea propter nomen sanctum tuum. Custodi nos **D O M I N E** ne incidamus in potestatem atræ noctis, & spirituum malignorum, qui in tenebris huius mundi obambulant & grassantur. Illumina quæso oculos meos, ne obdormiam in morte, ne quando Satan aduersarius meus noceat mihi, nec dicat inimicus meus, præualui aduersus eum, neque caro mihi imponat ad decipiendum animam meam. Custodi me pijsime **D E V S** in hac nocte soporifera, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me, ne turbent me visiones terrificæ, & somnia horrenda, neque larvæ seu apparitiones monstrosæ in tenebris exagitent me, quæ inter vigilandum aut somniandum animo obuoluantur meo. Sis tu **D E V S** vigil & speculator me⁹ occulitissimus, ne terricu-

E 4 lamena-

lamenta noctu obseruantia, & spectra tristibus apparentia vultibus, pauorem mihi incutiant, quæ virtute diabolica, & impostura fiunt ad perstringendum oculos hominum. In nomine tuo I E S V dulcissime, ascendam lectum strati mei, & somnum dabo oculis meis, atque palpebris meis dormitationem, tu me munies hac nocte, & protectum rursus excitabis ad lætam conspectum lucis crastinæ, meq; post hanc vitam miseram perduces ad æternæ beatitudinis visionem, vt in lumine tuo videam lumen, atque in secula seculorum laudem te regnantem in omni æternitate, Amen.

FERIA TERTIA.

I.

B E N E D I C T I O matutina.

OMNIPOTENS, viue, vere & misericors DEVS, æterne Pater Domini nostri I E S V C H R I S T I, qui cum Filio tuo & Spiritu sancto totam mundi machinam, & omnes res creatas verbo poten-

potentiæ tuæ gestas, & liberrime conser-
uas. Te omnes creaturæ incessabili voce
prædicare & collaudare debent, quod &
volucres cœli faciunt, quæ manè sub au-
roram diei inter densos arborum ramos,
& de medio petrarum mittentes vocem
suam, atque in aëre circumuolitantes sua-
uissimis modulationibus & concentibus,
te æternum *DEVM* & creatorem suum
concelebrant. Itaque & nos homines ma-
nè surgentes, meritò tibi gratias agimus,
quòd nos hac nocte transacta saluos & in-
columes in præsentem vsque horam con-
seruans, ex lectulis nostris secundum cle-
mentiam tuam sanos exurgere fecisti. Nisi
enim tu Domine præsto adfuisses nobis,
& stetisses pro excubijs nostris, absorpti
fuissemus à rabie & immanitate diabololo-
rum, si tu ipse non custodiuissemus nos, atq;
nidulos nostros, in vanum vigilâisset cu-
stos, nisi tu Domine fuisses nobiscū, quum
insurgerent homines aduersum nos, tunc
uiuos deglutiuissent nos, quum inflamma-
retur furor eorum in nos, tunc aquarum
more aduersitates inundâissent nos, & tor-
rens transiisset super animam nostram,
transiissent vtique super animam nostram
aquæ tumidæ & intolerabiles. Benedi-

E 5

ctus

etus es tu Domine DEVS noster, qui non
 dedisti nos prædam dentibus eorum, ani-
 ma nostra erepta est tanquam auicula de
 laqueo aucupis, & euasit, laqueus contri-
 tus est, & nos liberati sumus, adiutorium
 nostrum est in nomine tuo, qui fecisti cœ-
 lum & terram. Verba mea auribus perci-
 pe DOMINE, intellige clamorem meum;
 intende voci orationis meæ, qui es rex
 meus & DEVS meus, quoniam ad te ora-
 bo DOMINE, manè exaudies vocem me-
 am, manè astabo tibi, & videbo fortitudi-
 nem tuam, Dominator DEVS, exuscita
 me manè, manè erige mihi aurem ad au-
 diendum te doctorem meum, ne tibi re-
 bellem, nec retrorsum abeam, neq; sit mihi
 pertinacia instar furoris serpentis, sic vt
 aspidis surdæ & obturantis aurem suam,
 sed sonet vox tua in auribus meis, easque
 perfora, vt obediant tibi, semperque ad le-
 gem & testimonium tuum audiendum sint
 patulæ, & ad clamorem pauperis intentæ,
 vt mihi oriatur lux matutina, & erumpat
 mihi quasi manè lumen meum, sanitasque
 mea subitò oriatur. Obsecro te Pater
 omnipotens DEVS, per incarnationem
 & natiuitatem filij tui, Domini nostri IE-
 SV CHRISTI, vt nos per verbum tu-
 um

am auribus nostris illapsam in novos homines transformes, qui ex te renati sint, quasi modo geniti infantes, appetamus lac illud non corporis, sed animi, quod dolum nescit, ut per illud adolescamus & gustemus, quam dulcis sit promissio tua credentibus, utque deposita omni malicia & dolo, ambulemus in pia simplicitate, tanquam pueri, sensibus vero sumus perfecti. Hos tibi nunc regenitos, æterne DEVS, custodi hodie & singulis diebus ab auditione mala, ne nos classici percellant rumores, trepidationem animi afferentes, sed auditui nostro dabis gaudium & læticiam, ut exultent ossa humiliata. Tuo enim numini & protectioni vniuersam domum & profapiam meam commendo, quam pro tua infinita potentia, sapientia, prouidentia, atque bonitate digneris gubernare & disponere, ut omnia consilia nostra, omnesque sensus animi & corporis ad tuam gloriam & nostram salutem dirigantur, in CHRISTO IESU Domino nostro, Amen.

II.

GRATIARVM ACTIO
pro sanctificatione.

Spiritus

Spiritus sancte **D E V S**, qui es tertia per-
 sona diuinitatis, coessentialis Patri & Fi-
 lio, ab vtroque procedens, & cum eis simul
 adoraris, conglorificaris in vnitae veræ
 & indiuiduæ deitatis, atque es substantialis
 amor, & læticia coæterna inter Patrem &
 Filium. Te adoro, te laudo, & glorifico,
 tibi que gratias ago, quod me per fontem
 salutaris lauacri, nempe per vndam sacri
 baptismatis, in Ecclesiæ tuæ confortium ac
 beneficiorum tuorum participationem
 adoptare dignatus es, mihi que infusus per
 verbum tuum indefinenter regeneratio-
 nem & renouationem interioris hominis,
 in me operaris. Exaudi sancte Spiritus
 supplicationem meam, & me miserum
 hominem, qui proprijs rationis meæ viri-
 bus **I E S V C H R I S T O** Domino meo fi-
 dere, atque ad eum accedere nullo modo
 possum: inspira mihi per Euangelium tu-
 um sapientiam spiritualem, mundo ab-
 sconditam de essentia tua. O lux beatissi-
 ma, perfunde nos noua luce, & perhibe
 testimonium mentibus nostris, de volun-
 tate tua diuina, vt eam certò cognoscamus.
 & rectè de te sentiamus. Tu qui es arrabo
 hæreditatis nostræ cœlestis, obsigna pe-
 ctora nostra signaculo promissionis tuæ,
 de gra-

de gratuita peccatorum nostrorum remissione, ut eam in cordibus nostris firmam, ceu sigillo arctissimo munitam habeamus. Paraclete fidelissime, corrobora nos contra omnes insultus diabolicos, atque varias tentationes mundi & carnis nostræ, ut constantes simulque immobiles in vera fide & confessione salutari simus, non nutantes, neque deficientes cum oppugnati fuerimus. Tu doctor hominum informa nos, quid & quomodo nos oporteat orare, secundum voluntatem tuam, & pro nobis intercede gemitibus inenarrabilibus, ut exaudiamur. O mundator cordium, tribue nobis simplicitatem columbæ, sine felle & amaritudine animi, qui in Iordane super Dominum nostrum **I E S U M C H R I S T U M** baptizatum, in columbæ specie descendisti, ut nostra voluntas tibi sit conformis, & foueamus inter nos piam (ut turturum) concordiam. Tu qui es patris & filij flamma substantialis, accende in nobis ignem casti & feruidi amoris, qui super Apostolis **C H R I S T I** in die Pentecostes apparuisti, in disperitis linguis, instar ignis. Emenda frigus nostrum, fouendo nos calore & flatu tuo salutari, ut accipiamus vnctionem tuam. Consolator opti-

optime, dulcis hospes animæ, fac tibi mansionem in penetralibus cordis nostri, ut simus domicilium diuinitatis tuæ. O cœleste numen, reple nos gratia tua, ne vnquam dubitemus de prædestinatione & prouidentia tua diuina, qua in CHRISTO sumus electi ad vitam æternam, antequam iacerentur fundamenta seculi. Purifica animum, & munda corpus nostrum, ne æmulationem amarā habeamus, neq; sit inter nos radix germinans fel & absynthium. Adesto nobis, ne in cruce & afflictionibus animum despondeamus, sed tuo patrocinio adiuti obtineamus cœlorum gaudia, per infinita secula seculorum, Amen.

III.

P R I T I O S P E I.

Benedictus es DEVS, & pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui secundum misericordiam tuam magnam, regenerasti nos in spem viuam, per resurrectionem filij tui ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam & immarcessibilem, quæ in cœlis conseruatur his, qui credunt in eum, per agnitionem.

nam veritatis, quæ est secundum pietatem
in spe vitæ æternæ. Tibi DEO patri, au-
tori spei & consolationis supplico, imple
nos omni gaudio & pace, vt contra spem
in spem credentes nunquam hæsitando
vacillemus in promissionibus tuis, sed ve-
ra fiducia cordis firmiter nobis remissio-
nem peccatorum applicemus, & nos tibi
placere propter CHRISTVM verè sta-
tuamus, expectantes spe indubitata & in-
fracta per tolerantiam animarum nostra-
rum, redemptionem in vita futura. Et licet
hic non appareant salutis nostræ præsi-
dia, spem nihilominus inconcussam inter
omnes terrores & pauores conscientia-
rum habeamus, nec eam patiamur nobis
eripi diabolorum insidijs, sed eam futuris
& absentibus semper intendamus bonis,
desiderantes beatam illam apparitionem
gloriosi aduentus saluatoris nostri IESV
CHRISTI, qui dedit seipsum pro nobis.
O tu fili DEI vnigenite, qui dilexisti nos,
& dedisti consolationem æternam ac spem
bonam per gratiam, consolare corda no-
stra, & stabili nos in omni sermone &
opere bono, ne incerti hæreamus, & flu-
ctuemus inter spem & metum, sed fiduci-
am & gloriationem gratiæ ad finem vsque
firmam

firmam teneamus, atque in illa excubere-
 mus, donec vnusquisque nostrum idem
 præstet studium, ad plenam spei certitudi-
 nem, vsque ad perfectionem, ne simus im-
 becilles, sed imitatores eorum, qui per fi-
 dem ac patientiam hæreditatem accipiunt
 promissionis, donec tibi æterno DEO
 appropinquantes, possideamus re ipsa illud
 bonum, quod nunc fide in cordibus no-
 stris obtinemus, & spe certa præstolamur.
 Adesto nobis Spiritus sancte DEVS, vt in
 medijs fluctibus tentationum & ærumna-
 rum huius mundi, liberationem quoque
 corporalem, iuxta tuam voluntatem longa-
 nimitè expectemus, & vbi illa aliquan-
 tis per suspensa, aut intercapedine tempo-
 ris protracta fuerit, ad exercendam fidem,
 & patientiam nostram, tunc confirma nos,
 ne vnquam de exauditione & ope tua di-
 uina titubemus, fidelis enim es, qui non
 defraudabis desiderium nostrum. In te
 Domine sperauerunt patres nostri, spera-
 uerunt, & liberasti eos: ad te clamauerunt,
 & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non
 sunt confusi: Idcirco & ego in te sperabo,
 atq; ab inimicis meis saluus ero, quia tu es
 salutare vultus mei, & DEVS meus, per
 omnia secula, Amen,

P E T I-

IIII.

PETITIO HUMILITATIS.

OMnipotens DEVS Pater altissime, qui in excelsis habitas, & humilia respicis in cœlo & in terra, suscitans à pulvere inopem, & de stercore erigens pauperem, ad te Domine suspiro ardentibus votis, instilla animo meo veræ mansuetudinis & humilitatis affectum, vt in agnitione tuæ iusticiæ & celsitudinis, meæq; iniusticiæ & inanitatis, te verè timeam in uocatione mea, & summissè incedam non aspirans ad altiora voluntati tuæ obstrepando. CHRISTE fili DEI altissimi, qui quum ab omni æternitate in forma DEI esses, non rapinam arbitratus es, vt Patri tuo æqualis esses, sed ex profundissima submissione humiliatus infra omnes angelos & homines, quando è summo gloriæ fastigio te ad infimam ignominiam deiecisti, induens carnem nostram occultata & dissimulata ad tempus maiestate tua, fuisti Patri tuo obediens, non solum, quod maiori reuerentia eum coluisti, quàm vlla creatura, sed & victima pro peccatis nostris factus es, vt nos venundatos propter

F super-

superbiam sub peccatum & mortem, redimeres exaltando ad spem vitæ æternæ, tuoque nos doceres exemplo veræ subiectionis & humilitatis formam, inquiens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Obsecro te per humilitatem & passionem tuam, concede nobis spiritum contritum & humiliatum, vt vestigià tua imitantes verè, & ex corde, humiliemus nosmetipsos absque omni simulatione & dolo, ne in præsumtuosis & vanis opinionibus gloriemur. O rector mentium, & dator munerum, Spiritus alme DEVS, qui non tantum suades, sed etiam præcipis nobis benignitatem, humilitatem, modestiam & patientiam, vt his virtutibus amicti studeamus cõformitati tuæ, modestè & sobriè de nobisipsis sentientes, gubernam voluntatem nostram, ne fastus & luxus in sensu & verbis nostris dominetur. Præsertim verò abs te peto, ne finas me efferri in donis spiritualibus, arrogantiam & præsumptionem remoue à me, vt non extollatur cor meum, neq; ambulem in maioribus & mirabilioribus, quam mihi conuenit, sed componam & domem animam meam, instar infantis recens ab lactati, qui est humilis apud matrem suam. Excelsissime

sime

sume DEVS, prohibe Diabolum superbis-
simum, ne nos sollicitet inani persuasione
iusticiæ carnis, neque de donis nobis con-
cessis superbiamus abutentes illis ad pro-
prium gloriam, alios præ nobis fastidien-
do. Corrige vitium hoc natura nobis in-
fitum, ne se quisquam nimis amet, & sibi
placeat, contemnendo alios, non habentes
paria, aut ita excellentia dona. Ne finas
præstantia ingenia, & doctores autoritate
publica armatos pungi, & titillari stimulis
superbiæ & curiositatis, ad mouendas ex
ambitione vel odio rixas seu argutias, &
disputationes non necessarias, sed da grati-
am, vt nos omnes ex animo humiliati, sedu-
lò faciamus voluntatem tuam, fiatque illa
apud nos in cordibus nostris, quemadmo-
dum in cælo, ita & in terra, per CHRIS-
TVM Dominum nostrum, Amen.

V.

ORATIO PRO
Coniugibus.

SANCTE & misericors pater, qui singulari
consilio, & miranda sapientia tua insti-
tuisti matrimonium ad multiplicationem
generis humani, vt tibi inde ex pijs fami-
lijs,

F 2

lijs,



lijs, Ecclesiam sanctam catholicam per
 vniuersum orbem vbiq; excerpere, quæ
 te rectè agnoscat, inuocet, & nomen tuum
 sanctissimum celebret, veramq; tuam no-
 titiam posteritati, per omnes generationes
 tradat & propaget. Hunc tuum ordinem,
 cohonestauit primo suo miraculo vnige-
 nitus tuus, in Cana Galileæ, vertens aquam
 in vinum bonum. Testificatur & spiritus
 tuus, sibi esse beneplacitum in tribus, quæ
 sunt probata coram DEO & hominibus,
 vt sunt concordia fratrum, amor proxi-
 morum, itemq; vir & mulier inter se bene
 consentientes. Oro te æterne DEVS,
 communica omnibus in matrimonio vi-
 uentibus gratiam cognoscendi te autorem
 huius societatis & vitæ coniugalis, vt sci-
 ant, se esse in bono statu, in quo tibi serui-
 re & placere possunt, retineantq; indisso-
 lubile connubij vinculum, diligendo se in-
 uicem, ac vescantur pane suo in sudore
 vultus sui, liberosq; suos in omni pietate,
 per eruditionem & correptionem Domi-
 ni educant, atque crucem, quæ hoc vitæ
 genus semper comitatur, non reformident.
 Da igitur pijsime DEVS, vt mariti dili-
 gant vxores suas, eisq; cohabitent secun-
 dum scientiam, veluti infirmiori vasi im-
 perti-

per
quæ
um
no-
nes
em,
ge-
am
tus
quæ
us,
xi-
enè
s,
vi-
em
sci-
ui-
fo-
in-
ore
te,
ni-
itæ
nt.
ili-
in-
m-
rti-

pertinentes honorem, tanquam etiam co-
hæredibus gratiæ ac vitæ. Similiter vt ma-
tronæ obsequio casto, sanctisque moribus
ac mansuetudine suos studeant deuincire
maritos, & non detrectent subiectionem
spernendo eos. Tu castissime DEVS, qui
hoc consilio instituisti ordinem matrimo-
nij, vt hæc imbecillis natura hominum in
legitimo coniugio castè viuat, & tibi pla-
ceat, custodi œconomiam à dissidijs, si-
multatibus, odio, scandalo, & ab omni
malo, gubernam familiam tuam, & da bene-
dictionem omnibus coniugibus, vt pro-
creent sobolem piam, semen iustum, edu-
centq; plantulas frugiferas, nouellas olea-
rum in circuitu mensæ suæ, ad videndum
filios filiorum, pacem & incolumitatem
Ecclesiæ. Prohibe satanam hostem pesti-
ferum huius ordinis, ne eum vilo modo
labefactet aut destruat, neque coniuges hu-
ius matrimonialis vitæ tædio capti incipi-
ant hostiliter odisse, & detestari hanc tuam
ordinationem diuinitus sancitam, & quæ-
rere diuortia illicita, neque exacerbentur
animi illorum per dissensiones, & abripi-
antur ad tetras libidinum confusiones,
adulteria, scortationes, perfidam desertio-
nem, donec inquinati foedis contaminatio-
nibus,

nibus & inuoluti spurcissimis squaloribus
mergantur in tragicas & æternas pœnas,
sed adesto Ecclesiæ tuæ, quam reparator
generis humani Christus filius tuus assu-
mendo massam nostram æterno foedere
sibi tanquam sponsam suam copulauit, qui
tecum uiuit & regnat in vnitate Spiritus
sancti **D E V S**, per omnia secula seculorum,
Amen.

VI.

O R A T I O P R O
iuuentute.

Misericordissime **D E V S**, pater immen-
sæ bonitatis, qui ex ore infantium &
lactantium tibi perficis robur laudis tuæ,
& vis vt iuuenes, virgines, senes cum pue-
ris laudent te æternum **D E V M**, in vera
agnitione & celebratione nominis tui di-
uini. Te rogo pro cunctis infantibus, li-
beris, adolescentulis, tam seruis quàm fa-
mulabus, da eis gratiam, vt à falsa & cor-
rupta doctrina, à commercio prauo, quod
ceu contagium ac fermentum subigit, &
totam massam penetrat, custodiantur, ne
crapulæ & ebrietati, vagis libidinibus neq;
otio inertis, omnibus vicijs materiam, &
nutri-

nutrimentum præbenti sint addicti. Domine I E S V, qui puer annorum duodecim profecisti sapientia, ætate, ac gratia apud D E V M & homines, confortatus spiritu in iuuentute tua, dona omnibus pueris & scholasticis bonitatem ingenij, capacitatem mentis, firmitatem memoriæ, vt admittant retineantq; præcepta vtilia, & ab infantia sacras discant literas, quæ eos possunt instruere ad salutem per fidem in te C H R I S T V M saluatorem. O Spiritus sancte D E V S, qui per verbum & sacramenta efficax es, atque per eadem tibi colligis Ecclesiam, non tantum ex adultioribus, sed etiam ex iunioribus, serua quæso agmina scholastica, quæ sunt seminaria Ecclesiæ tuæ, in quibus docentur linguæ & artes, quas tu generi humano, tanquam instrumenta ad docendum monstrasti necessaria, vt sonet vox Euangelij tui incorrupta, in vero & orthodoxo consensu, ne diuariemur & distrahamur in sectas perniciosas. Auerte dogmata praua, semoue exempla turpia, tolle scandala omnia, ne iuniores multitudinem peccantium cernentes, imitentur vestigia eorum, ne in indulgeant affectibus carnis, excutiendo iugum obedientiæ & subiectionis, & ne pa-



rentum suorum, vel licentia, vel austeritate abutendo deteriores reddantur, & in prauitate adulescant ferocientes & repugnantes pijs, honestisq; monitionibus, ne forte effrenes & intractabiles redditi callum sibi obducant in nequitia. Omnipotens æterne Deus, rege mentes & voluntates omnium puerorum & puellarum, vt tuo instinctu discant tibi psallere, hosianna, ligentq; in corde suo iugiter legem tuam, eamq; circumdant gutturi suo, tanquam ornamentum, vt in eis crescat gratia tua, & donum per gratiam, donec proficientes in ætatem virilem fiant Ecclesiæ tuæ organa salutaria, ad docendum alios, maneantq; tibi patri summo ac æterno coniuncti, per CHRISTVM IESVM Dominum nostrum, Amen.

VII.

PRECATIO CONTRA
Satanae voluntatem.

SCIS tu DOMINE conditor omnium rerum, quod cum angelos feceris spiritus & ministros tuos ignem vrentem, plenos iusticia, sapientia & integritate virium, ad seruiendum tibi creatori & DEO æterno.
Ex

Ex his autem à te nonnulli liberè auersi
rectitudinem concreatam amiserint, &
propterea caelo deturbati sunt, qui ex hoc
lapsu extiterunt hucusque infensissimi ho-
stes nominis tui, & totius generis humani,
quod abducere conantur ad perpetuos
cruciatu, contra hos igitur malignos spi-
ritus, ad te patrem nostrum fundimus pre-
ces supplices, vt destruas regnum diaboli-
cum, in quo dominatur idolatria execran-
da, odium veritatis, cum omnibus nefa-
rijs peccatis, & horrendis sceleribus, fran-
gasque voluntatem eius, qui, vt triticum
nos cribrare cupit. Prosterne robustum il-
lum Goliath, exprobrantem agmini tuo,
& contunde Leuiatan Draconem vastæ &
immensæ magnitudinis, ne seducat & per-
dat nos. **C H R I S T E** fili **D E I** viui, gigas
potentissime, qui fortior es diabolo, & vi-
cisti eum spoliando omnibus eius armis,
quibus confidebat: exaudi supplicatio-
nem nostram, & protege nos contra furo-
res spirituum immundorum, ne recupe-
rent nos in regnum suum, neque pro libi-
dine & cupiditate percutiant miseros mor-
tales phrænctica cœcitate, eosq; beluino
impetu ad quæuis fœda & turpia flagitia,
raptos, extinctis potentijs naturalibus fu-
riose

riosè in tristissima prosternant scelera. Co-
 hibe cyclopicam rabiem spurcissimorum
 dæmonum, qui iam sub finem mundi, cum
 intelligant breue se tempus regnandi ha-
 bere, & iudicium suum præ foribus insta-
 re, atrocius grassantur, cœlumq; terræ mi-
 scere conantur. Eripe tuos electos ex col-
 luvie errorum, & prophanae impietatis, ne
 demergantur in stagnum ardens igni &
 sulphure. O rex gloriæ, qui ad itygias in-
 fernales detrusisti dæmones, funibusq; tar-
 tareis ligatos ad ima detraxisti, cum infer-
 num debellaturus intrares, vt inde popu-
 lum tuum, qui tenebatur captiuus, edu-
 ceres, te rogamus, exaudi suspiria nostra, &
 hostem superbissimum retunde, ne ab ipso
 seducti erremus in fundamento doctrinae,
 neque labamur in peccata contra consci-
 entiam. Spiritus sancte D E V S, governa
 nos gratia tua, vt quam semel tibi dedi-
 mus fidem, nunquam fallamus, sed perse-
 uerantes in curriculo inchoato, assequa-
 mur salutis nostræ portum. Aufer igitur
 quod in nobis deformauit natura corru-
 pta, & conserua hoc, quod in nobis ope-
 rata est tua gratia, ne regnet peccatum in
 nostro mortali corpore, ad obediendum
 illi per cupiditates illicitas. Præsta nobis
 omni-

omnipotens DEVS opem tuam, vt liberati à peccato serui simus iusticiæ, & obediamus ex animo ei, in quam traducti sumus formam doctrinæ, præbendo membra nostra serua iusticiæ ad sanctificationem, vt tibi hic in regno gratiæ, & postea in futura vita in regno gloriæ seruiamus, per omnia secula seculorum, Amen.

VIII.

B E N E D I C T I O
vespertina.

Benedictus es tu DEVS, & pater DOMINI nostri IESV CHRISTI, qui me miserum hominem à sæuitia & tyrannide diabolica, à varijs periculis & calamitatibus per hunc diem custodiisti. Propterea memor ero nocte nominis tui Domine, & custodiam legem tuam semper, media nocte euigilans confitebor tibi super iudicia iusticiæ tuæ, annunciabo veritatem tuam, & psallam tibi sanctissime saluator, quum confusi & pudefacti fuerint, qui quærunt mala mihi. In hoc vespertino tempore DEVS inclina ad me aurem tuam, & exaudi me, intende in vocem deprecationis meæ, ad remittendum
mihi

mihi omnia peccata mea, quæ in hanc vs-
 que horam commisi, præcipue autem, quæ
 hodie aurium pruritu & voluptate perpe-
 traui accommodando eas, ad audiendas
 res vanissimas, & illecebras vitiorum, pec-
 cauimus tibi Domine, & non obediimus
 voci tuæ, vt ambularem in mandatis
 tuis, quæ dedisti nobis, increduli fuimus
 in te Dominum nostrum, & dissipati re-
 cefsimus, ne audiremus vocem tuam, ideo
 merito aures tuas à precibus nostris auer-
 tere, & nos consumere in iniquitatibus
 nostris debebas, sed misericordiæ tuæ fue-
 runt in causa quod non consumi sumus,
 ad te pater æterne DEVS clamamus, ne ira-
 scaris Domine, exaudi, quæso, filium tuum
 vnigenitum pro nobis intercedentem, qui
 est propitiatio pro peccatis nostris, & mi-
 serere nostri, vt nobis scelera nostra igno-
 scas, quia ad nomen tuum & memoriam
 tuam est animæ meæ desiderium per diem
 & noctem. Ecce anima mea ardentius ad
 te anhelat, quam vlli vigiles nocturni ad
 lucem matutinam aspirant. Te nunc rogo
 æterne DEVS, vt vellicando mihi aurem
 præmoneas animam meam à cunctis pe-
 riculis & aduersitatibus, quemadmodum
 Patriarchas & Prophetas in somnis no-
 eternis,

sturnis, quando sopor irruebat super eos
in lectulo dormientes, oraculo tuo admo-
nitos, sæpe fecisti audire vocem tuam, vt
ab imminentibus & futuris calamitatibus
præseruarentur. Custodi me in hac atra
nocte à grassatione spirituum immundo-
rum tumultuantium, & strepitus excitan-
tium, ne fragores & vlulatus horribiles
circumstrependo, & per-tonando me infe-
stent, neque horripilatio seu panicus terror
me obruat. Defende me à genio malo,
à furijs & illusionibus dæmonum, ab in-
cantatoribus & veneficis, ne fascino me
magicis fraudibus, neque vlla vi, siue clan-
destina siue aperta mihi obesse possint.
DOMINE habitabo in tabernaculo tuo
in secula, protegar sub velamento alarum
tuarum, adijcies mihi dies & annos pro
tua voluntate, quia misericordia & veritas
tua custodient me: Dominus exaudiet vo-
cem orationis meæ, quia inclinavit aurem
suam mihi, & in diebus meis inuocabo.
Conuerrere nunc anima mea in requiem
tuam, quia Dominus benefecit tibi: Eri-
puit animam meam de morte, oculos me-
os à lacrymis, pedes meos à lapsu, placebo
Domino in regione viuorum, per Chri-
stum Iesum mediatorem & saluatorem me-
um, Amen.

FERIA

FERIA QVARTA.

I.

BENEDICTIO
matutina.

OMNIPOTENS, misericors DEVS, qui populo tuo Israëlitico in lege, singulis diebus, tam manè quam vespèri holocaustum tibi offerre, in odorem incensi, & suauitatis præcepisti, vt hoc ritu te glorificarent, tibiq; gratias agerent, pro beneficio protectionis per diem & noctem. Ita & ego manè iam consurgens immolo tibi sacrificium laudis ex ore meo, & glorifico te æterne DEVS, qui dirupisti tenebrarum vincula, quibus hac nocte constrictus eram, liberaisti corpus & animam meam è cunctis periculis producendo me sospitem ad lucem matutinam. Quapropter vitulos labiorum meorum tibi offeram in holocaustum matutinum, & lingua mea collaudabit te Domine. Replebitur os meum laude tua, vt cantem gloriam tuam, omni die magnificentiam tuam. Ad te DEVS in hac eothina hora clamo, & oratio mea manè ad te dirigitur: teq;

teque obsecro per resurrectionem Domini
nostri I E S V C H R I S T I, vt quemadmo-
dum ipse excitatus est à mortuis per glo-
riam tuam, ita nos quoque manè exusci-
tes, vt surgentes ex peccatorum fordibus,
& relinquentes strata iniusticiæ, induamus
nouam hominem, qui ad agnitionem &
imaginem tuam in vera iusticia & sanctita-
te renouatur, ne stertentes vacemus som-
nolentiæ & torpori. Expergiscere nunc
anima mea, quæ dormis, & surge à mor-
tuis, vt illucescat tibi C H R I S T V S,
enimvero tempestiuum est nos iam à so-
mno expergisci, siquidem hora euigilandi
appropinquauit, & salus iam nobis propi-
or est, quam credebamus, nox progressa
est, dies autem appropinquauit. Idcirco
concede misericors D E V S, vt abijcientes
opera tenebrarum & induti armatura lu-
cis, tanquam in die compositè ambulemus,
non in comessationibus & ebrietatibus,
non in cubilibus & lasciuijs, non in con-
tentione & æmulatione, sed induamus Fi-
lium tuum Dominum nostrum I E S V M
C H R I S T V M, vera fiducia & operibus
bonis, quæ ipsum redoleant & referant,
proinde actiones nostras, quæsumus D O-
M I N E, aspirando præueni & adiuuando
pro se.

prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te quoque finiatur. O Domine refrena linguam meam & compesce labia mea, ne loquantur dolum, turpiloquium & obscenitatem verborum, omnemq; scurrilitatem longè remoue à me, ne quid temerè & inconsideratè effutiam. Quis dabit ori meo seram, & super labia mea signaculum certum, ne cadam in sermone meo, & lingua mea non perdat me? Omnipotens DEVS, appone tu ostium circumferentiæ labiorum meorum, ne transgrediantur, sed aperiantur, vt recta prædicent, veritatem meditetur guttur meum, iusti sint omnes sermones mei, ne inueniatur in eis prauum. Da gratiam, vt in me ipsum descendens, reprehendam næuos meos, ne mei oblitus condemnem alios, & incidam in iudicium tuum formidabile. O Domine, libera me à labijs iniquis, & à lingua dolosa, quorum os mollius est butyro, & verba eorum blandiora sunt oleo, & tamen sunt iacula virulentissima; nam acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum est sub labijs eorum. Custodi nos quoque ab ore gladij, à dentibus bestiarum voracium, contere maxillas & molares leonum

leonum atq; draconum, ne nobis incommodent, aut damnum inferant. Tibi enim Domine commendo me, omnesq; cognatos meos, qui aut sanguine aut affinitate mihi sunt iuncti, in **CHRISTO IESU** Domino nostro, Amen.

II.

GRATIARVM ACTIO
pro agnitione Euangelij.

Confiteor tibi pater cœli & terræ, quod mysterium verbi tui, nempe Euangelium salutis nostræ, de filio tuo consubstantiali sapientibus & prudentibus huius seculi absconditum reuelâris paruulis atq; humilibus, certè pater sic fuit bona voluntas tua. Omnia quippe tradidisti filio tuo, quem nemo nouit, nisi tu pater, nec te patrem quisq; nouit, nisi vnigenitus tuus, & cuiusq; is voluerit reuelare. Te adoro, te laudo & glorifico, quod sapientiam tuam ab æterno occultatam, quam nemo principum mundi huius cognouit, prædestinaueris nobis ante secula, quæ alijs ætatibus non ira innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc est patefacta per Spiritum tuum. Tibi gratias ago æterne

G **Deus,**

DEVS, qui nos vocasti vocatione tua
 sancta, non secundum opera nostra, sed se-
 cundum propositum tuum & gratiam,
 quæ data est nobis sine omni merito & di-
 gnitate nostra. Benedictus es tu **D**EVS &
 pater Domini nostri **I**ESV **C**H**R**I**S**T**I**,
 qui benedixisti nos omni benedictione
 spirituali, in cœlestibus per filium tuum,
 quemadmodum elegisti nos in ipso, ante-
 quam iacerentur fundamenta mundi, vt
 essemus sancti & irreprehensibiles coram
 te per charitatem, & prædestinasti nos in
 adoptionem filiorum tuorum, iuxta dis-
 pensationem voluntatis tuæ, qua charos
 nos reddidisti propter dilectum, in quo
 habemus redemptionem per sanguinem
 ipsius, secundum diuitias gratiæ tuæ, de
 qua vbertim nobis impertuisti in omni
 sapientia & prudentia, patefacto nobis ar-
 cano voluntatis tuæ mysterio, vt summa-
 tim instaurares omnia per **C**H**R**I**S**T**V**M,
 quæ in cœlis & in terra sunt, per quem &
 nos in sortem sanctorum adsciti sumus iu-
 xta decretum voluntatis tuæ, vt essemus
 hæredes atque participes promissionis
 per Euangelium, annuncians nobis imper-
 uestigabiles diuitias immensæ bonitatis &
 misericordiæ tuæ. Tibi supplico, & te in-
 uoco,

Gratiarum actio pro agnitione Euang. 67

uoco, qui potens es confirmare corda no-
stra iuxta reuelationem gratiæ tuæ, vt se-
cundum operationem & efficaciam po-
tentia virtutis tuæ, nos serues constantes
in vera agnitione & confessione salutari,
ne dereliquentes verbum nobis tradi-
tum expectemus nouas reuelationes, aut
raptus violentos, neue deserentes sapien-
tiam cœlestem in Euangelio patefactam,
sectemur humanæ rationis iudicium, &
carnis intelligentiam, quam tu **DEVS** in-
fatuasti & perdidisti in carnis tuis myste-
rijs scrutandis. Proinde concede nobis, vt
simus simplices & paruuli tui, accipientes
à te sermonem veritatis sine omni dispu-
tatione & contradictione, ne in articulis
fidei carnalem afferamus sapientiam, sed
exinaniti proprio sensu mentes nostras in
piam adigamus captiuitatem, donec hinc
discedentes in vitam æternam, de facie ad
faciem cernamus te Patrem, cum Filio
& Spiritu sancto, in vna essentia,
per infinita secula seculo-
rum, Amen.

G 3 PETI-

III.

PETITIO CARITATIS
Christianæ.

CHRISTE fili DEI altissimi, qui es perfecta caritas, diligens nos usque in finem, & ex intimo amoris tui affectu in ara crucis dirissimam pro nobis sustinuit mortem, ut nos à perpetua morte & æternis cruciatibus liberares, nosque hoc tuo exemplo simul ad mutuam caritatem inuitares, ut quemadmodum tu pro nobis mortem oppetere voluisti, ita & nos habentes substantiam huius mundi libenter suppeditaremus, & elargiremur egentibus, atque in casu necessitatis etiam pro fratribus animam poneremus. Te rogo per tuam flagrantissimam caritatem, accende corda nostra frigida affectu veri amoris, ut te Deum verum, & unum cum Patre & Spiritu sancto, in vna æterna & indiuidua essentia super omnia ex toto corde & anima, ex tota mente & omnibus viribus diligamus, atque sermonem tuum seruemus. Excita in nobis fraternæ & feruidæ caritatis studium, ut quilibet proximi sui iuuantis rationem habeat, non secus ac membra, quæ in vno corpore compacta, alia pro alijs mutuam

mutuam gerunt sollicitudinē, ita & nos in-
uicem ardentem amemus, atq; abundemus
mutua inter nos caritate, sitq; ea perfecta,
complectens omnes homines, quærens tā-
tū alterius commodum, non curans in hoc
seculo remunerationem ab vlllo mortali,
imò ingratitude sentiens maneat du-
rabilis semper, vt corda nostra sint à te
DEO confirmata & irreprehensibilia in
sanctimonia. Inflamma omnipotens DE-
VS pectora nostra, vt tuo exemplo infor-
mati etiam inimicos nostros verè & ex
corde diligamus, benè precemur deu-
uentibus nos, beneficiamus ijs, qui nos in-
sectantur, tibi vindictam atq; vltionem re-
linquentes. O fili DEI, qui ex abundantia
amoris tui iam instante lucta petijsti, vt di-
lectio, qua æternus Pater te diligit in tuis
sit, exprime in nobis similitudinem carita-
tis tuæ, & nos in talem transforma effigi-
em, vt anima nostra te illustrante, & spiri-
tu tuo sancto mouente copuletur cum
æterno patre tuo, ac in nobis luceat ima-
go similis integritatis, similis agnitionis,
iusticiæ ac motuum, qualis fulget in te, qui
es splendor æterni patris tui in dulcissima,
& perpetua harmonia, vt cognoscatur
verè tui discipuli, habentes fidem effica-

cem, quæ per dilectionem ad gloriam & laudem tuam operetur, ne nomini tuo sanctissimo vlla ignominia inuratur nota. Agne DEI, qui tollis peccata mundi, tolle à nobis omnem amarulentiam, iram, vociferationem, maledicentiam cum omni malicia, ne sol occidat super iram nostram, neque demus locum calumniatori, sed induentes modestiam, mansuetudinem, lenitatem, & super omnia caritatem, quæ est vinculum perfectionis, finis præcepti, & impletio legis, declaremus fidem nostram esse viuacem, & maneamus in caritate tua, & tu in nobis, per omnia secula seculorum, Amen.

VIII.

PETITIO PANIS
quotidiani.

Domine DEVS, rex cœli & terræ, qui ex opulenta pietate vniuersum orbem terræ, omni germinum & fructuum genere annua renouatione imples atque ornas, vnde tam homines quàm iumenta suum accipiunt victum: Oro te propter misericordiam tuam largissimam, vt solo
& aruo

& aruo nostro benedicere, illudque fecundare digneris, ad dandum fruges suas, siquidem nos ne granulum vnicum ex terra producere, aut ei vires crescendi suppeditare possumus, vbi tu non dederis benedictionem & incrementum. Proinde largire nobis coelum salubre, atque commodam aeris temperiem, vt fruges terrae feliciter proueniant, & pro tua liberalitate concede nobis pluuiam matutinam, & serotinam, vt habeamus vbertatem omnium prouentuum, atque laetam messem cum vindemia copiosa. Riuulus DEI plenus est aquis, tu **D O M I N E** praeparabis frumentum nostrum, & dispones terram nostram in foecunditatem, sulcos eius inebriabis, & demittes pluuiam in glebas eius, stillis liquefacies terram, ac benedices germiui eius, coronabis annum bonitate tua, vt orbitae tuae stillent pinguedinem, pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur, vestiatur planicies gregibus, & valles amicientur frumento, vt habitatores terrae iubilent ac laentur. Tibi **D O M I N O** nostro supplicamus, exaudi preces nostras in habitaculo mansionis
G 4 tuae.

tuæ, & propitius esto populo tuo, qui peccauit contra te, & remitte cunctas iniquitates eius quibus iniuste egit. Nos peccatis nostris præbuimus occasionem calamitatibus vniuersis tergo nostro impendentibus, at tu DEVS pro miserationibus tuis multis dele iniusticias nostras, & custodi agros à sterilitate, arce à nobis maledictionem, perditionem, vredinem, ne sit deuastator, erugo, locusta, neq; rubigo nocens. Ne des nobis pro pluuia arenam & puluerem, sed aperi thesaurum tuum optimum, & visita terram benignitate tua, & abunde dita eam. Custodi segetes nostras in superficie terræ, ab omni incommoditate aëris, à fulmine, grandine, ab imbribus exitiis, & aquarum noxia inundatione, similiter à siccitate intempestiua, ab æstu torrido, ab omnibus insectis & bestijs perniciosis campum & segetem eius deuastantibus, panem nostrum quotidianum, & quicquid pertinet ad necessitatem & sustentationem vitæ nostræ, da nobis hodie, vt cum gratiarum actione accipiamus benedictionem tuam, concede nobis vitam & incolumitatem, tuearis pecora & veterina à morbis, ædificia ab incendijs & prædatoribus, corpora nostra in caritate an-

te annonæ sustenta, ne inedia tabescamus, nec in tempore malo confundamur, sed cognoscentes tuam paternam curam confiteamur tibi **D E V S**, confiteantur tibi populi omnes, & terra det fructum suum, propter **I E S V M C H R I S T V M** filium tuum dominum nostrum, Amen.

V.

O R A T I O P R O
peccatoribus.

Æterne Pater dilecti filij tui Domini nostri **I E S V C H R I S T I**, qui es conditor & rex vniuersæ creaturæ, tibi toto pectore gratias agimus, quod genus humanum lapsum per peccatum, atque æternæ maledictioni obnoxium non abiectisti in perpetuam damnationem, sicut diabolos, sed inenarrabili bonitate ex arcano consilio tuo prodire voluisti filium tuum vnigenitum, eumq; constituisti mediatorem vt esset victima pro delictis nostris, non enim vis mortem peccatoris, nec delectaris perditione impij, sed maus, vt conuertatur & viuat. Oro te pro cunctis peccatoribus, qui enormibus atque nefandis sceleribus polluti, atque illecebris car-

G 5

nis

nis immerfi sunt, quorum sopita est conscientia, vt non tangantur vlllo iudicij metu, sed secure & intrepide pergentes ad omnem immunditiam se prostituunt: Da quæſo illis gratiam, vt ex corde ingemiſcant, & doleant de peccatis commiſſis, quibus maiestatem tuam diuinam grauitè offenderunt, iramq; tuam prouocauerunt, suam ipſorum lædentes conscientiam. Aufer ab illis cœcitatē mentis, ne incidentes in affectatam ignorantiam abalienentur à vita, neque seipſos tradant in reprobū sensum ad faciendum, quæ non conueniunt, sed per tuam gratiam redeuntē ad mentem meliorem gustent bonitatem & misericordiam tuam, qua pelliciantur & trahantur ad veram conuersionem per fidem, & abolitionem immundorum operum, vt erepti ex laqueis diaboli recta incedant via, ne sint in posterum blasphemī, pleni inuidia, iracundia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus, susurrones, obrectatores, osiores, contumeliosi, elati, gloriosi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, pacta non seruantes, & alieni ab omni caritatis affectu, neque vltius studeant operibus carnis, sed confugientes ad tuam in-

am inexhaustam misericordiam, deponant
iuxta priorem conuersionem veterem
hominem, qui corrumpitur secundum
concupiscentias erroris, & renouati spiri-
tu mentis suæ induant nouum hominem,
qui secundum te **DEVM** creatus est in iu-
sticia & sanctitate vera, aboleantq; men-
dacium loquendo veritatem cum proxi-
mo suo, & qui furabatur, non amplius fu-
retur, potius autem labore operando
manibus suis, quod honestum est, vt possit
impertire egentibus, & inopia laboranti-
bus. Illabere in corda nostra sancte Spiri-
tus æterne **DEVS**, rege mentem & vo-
luntatem nostram, atque inchoa in nobis
nouam vitam, sanctosque motus, vt te re-
ctore & gubernatore, elapsi ex laeu sordi-
um & spurcissimorum actuū, exerceamus
fidem nostram operibus pietatis, simusque
sobrij & temperantes in omni opere bo-
no, perseuerantes ad laudandum te **DE-
VM** Patrem, cum Filio & Spiritu
sancto, in vna essentia, per omnia
secula seculorum,
Amen.

ORA-

VI.

ORATIO PRO
ægrotis.

CHRISTE, qui es virtus nostra, quæ in infirmitate perficitur, fortitudo imbecillium, salus omnium in te sperantium, adiutor in opportunitatibus, auxilium in tribulatione. Te rogo per cunctas passiones & cruciatus tuos, quos pro nobis sustinuisti, ut condolens morbis & miseris nostris succurras omnibus ægrotis, & præsertim ijs, qui in ægone mortis suæ cum multis & varijs conflictantur tentationibus, ut cognoscant languores à te mitti bono consilio tuo, non quidem ut nos perdas, aut voluptatem capias ex ærumnis nostris, sed ut nos sic castigatos reuoces ad poenitentiã, atq; in officio cõtineas, aut certe nos à flagitijs (ad quæ natura propensi sumus) arceas. Tu optime animarum & corporum languentium medice, qui ostendisti morbos & calamitates corporis esse quoq; pœnas & commonefactiones de ira tua aduersus iniquitates nostras, parce Domine, parce populo tuo, & remitte nobis crimina nostra, quibus causam præbui-
mus multis morbis & afflictionibus, affa-
re in

re in lucta conscientiae anxia corda nostra
consolatione tua viuifica de gratuita pec-
catorum nostrorum remissione. Aufer
stimulos peccati atque aculeos mortis, ne
in animo nostro vermem rodentem sen-
tiamus, sed redde pectora nostra tranquil-
la per scripturarum consolationem, &
Spiritus sancti operationem, vt confiden-
ter in te, & promissis tuis acquiescamus,
& nullatenus de misericordia tua erga nos
dubitemus. Calefacito corda nostra fri-
gida, & membra languentia, vt sint agilia
ad obedientiam, & æquo animo perferant
crucem sibi impositam, ne murmurantes
voluntati tuæ reluctentur. Aspice de cœ-
lo, æterne **DEVS**, de atrio sancto tuo, &
vide afflictionem omnium infirmorum,
tolle ab eis languores, aut saltem mitiga
dolores eorum, vt aliquid leuaminis senti-
ant, & sit illis iugum tuum suauis, onusque
tuum leue. Restitue ægrotantes in pristi-
nam sanitatem, & medere languoribus eo-
rum, vt recuperent valetudinem melio-
rem & integritatem virium, pro tua cle-
menti voluntate, absterge omnes lacry-
mas ab oculis eorum, opemque fer illis su-
per lecto doloris eorum, vniuersum strata-
tum eorum versabis in infirmitate, sana &
obliga

oblige omnes contritiones eorum, dic tu
verbum, & sanabitur famulus & famula
tua. Da quoque misericors DEVS, vt
omnes curati benè collocent recuperatam
sanitatem, ne quod per gratiam accepe-
runt, peccando rursus amittant. Quibus
autem magis expedit commutare terre-
strem vitam cum cœlesti, horum corda
Spiritu sancto confirma, vt in hora expi-
rationis suæ placidè obdormiscant, & lar-
gire illis nobisq; omnibus, cum hora mor-
tis ingruerit felicem vitæ exitum, animasq;
nostras ex hac miseriarum valle disceden-
tes, ad te in cœlum recipe, vbi tu sedes ad
dexteram patris tui omnipotentis, & cum
eo viuis atque regnas, in vnitate Spiritus
sancti DEVS, per omnia secula seculo-
rum, Amen.

VII.

PRECATIO CONTRA
tentationes satanæ.

PATER cœlestis, æterne DEVS, ad te su-
spiro, vt nos natura imbelles, & nudos
protegas contra omnes tentationes & im-
pugnationes satanæ, qui tanquam leo ru-
giens

Precatio contra tentationes satanae. 79

gens circumit, quærens quem deuoret, innumeris namque modis & inexplicabilibus imposturis insidiatur animabus nostris, acriter nos infestat, cunctasque suas vires & impetus effundit contra nos, in omnes occasiones est intentus, vt nos in flagitia ignominiosa, & scelera enormia, tandemque in desperationem extremam horribiliter præcipitet. Quotquot enim in homine affectus sunt corporales, totidem quoque arripit tentandi nos occasiones, vt vulnus nobis infligat, vel saltem aliqua nos lædat punctione, insidias nobis struit in diuitijs, paupertate, voluptatibus & illecebris carnis, mœroribus animi, ambitione & affectatione eminentiæ, tædio conditionis & fortis nostræ, solitudine & cura ventris, auaritia & amore pecuniæ, cupiditate vindictæ: Titillat nostrum quosdam Diabolus appetitione gloriæ & honoris, imprimi alijs pruritum curiositatis & superbiæ, instillat nonnullis suspiciones & dubitationes de tua voluntate, & prouidentia diuina. Inflat alios persuasione sapientiæ & eruditionis, vexat quosdam supina oscitantia, & securitate carnali,
dies

dies noctesq; , siue dormimus siue vigila-
 mus penes nos est , & ore suo spumante ,
 atque rictu aperto inhiat ad deglutiendum
 nos , vt corrumpantur sensus nostri à sim-
 plicitate, quæ est erga Christum. O Deus,
 quis poterit effugere aut persistere aduer-
 sus tam varios ictus & insultus Diaboli,
 nisi tu protector altissime nos defenderis ,
 actum est de nobis , nos enim illi impares
 sumus resistendo , nihil virium est in no-
 bis, nihil præsidij, prudentiæ & industriæ,
 est in natura nostra , contra tam validum
 & versutum hostem. Quapropter excute
 nobis somnolentiam profundam , & aperi
 oculos mentis nostræ, vt cernamus, quan-
 ta sit potentia, quanti conatus, quantæ vi-
 res , & quanta sit malitia huius aduersarij ,
 cum quo nobis est dimicandum : Quoni-
 am non est nobis lucta aduersus sangui-
 nem & carnem, sed aduersus principatus,
 potestates , contra mundi dominos & re-
 ctiores tenebrarum seculi huius , aduersus
 spirituales astutias in cœlestibus: Quapro-
 pter fili DEI, summe agonotetha noster ,
 qui vltro subiisti tentationes, vt cum Dia-
 bolo, quasi manu conserta luctar eris, & tua
 victoria nobis triumphum acquireris , re-
 tine eum alligatum , ne possit nos cribrare
 & ex-

& exercere sicut cupit. Fac nos commilitones tuos tuæ victoriæ participes, ut sicut tu diabolum vicisti in tuo corpore, ita quoque eundem in membris tuis iugules. Porrigere itaque nobis vniuersam armaturam tuam, ut ceu veri athletæ possimus resistere in die malo, da nobis gladium spiritus, quo per te faciemus virtutem vincendo hostem nostrum in nomine tuo, Amen.

VIII.

B E N E D I C T I O
vespertina.

Domine DEVS, tu es vita & longitudo dierum meorum, sustentator meus, protegens me à iuuentute mea. Tibi gratias ago in hac serotina hora, clementiam & misericordiam tuam extollit lingua mea, quod me per hunc diem contra omnes aduersitates corporis & animæ tutatus es, sicut adipe & pinguedine replebitur anima mea, & labijs exultationis laudabit te os meum. Domine DEVS, ad te suspiro, exaudi me, intendi voci meæ, quem clamaui, ad te dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, oblatio labiorum

H rum

rum meorum, sit tibi sacrificium vespertinum. Non enim delectaris taurorum & arietum holocaustis, sed sacrificium laudis honorabit te. Proinde & ego in hoc crepusculo vespertino tibi iuge sacrificium laudis offero, gratias agēs pro paterna defensione & custodia tua, per hūc diem, celebrabo te æterne DEVS, propter veritatem tuam, & psallam tibi altissime, exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti, imò & lingua mea, per singulos dies & noctes loquetur de iusticia tua, quum confusi & pudefacti fuerint, qui quærunt mala mihi. Ad te Domine voce mea nunc clamo, tibi que supplico vt remittas mihi omnia peccata mea, & præsertim quæ hodie designauit lingua, ore & labijs meis, ne quæso producas in iudicium tuum, verba mea ociosa & futilia, culpam garrulitatis & vaniloquentiæ ignosce mihi, measque ineptias ne imputes mihi. Sancta Trinitas & perpetua vnitas custodiat me in hac nocte: Regat me potentia patris, viuificet me sapientia filij, illuminet me virtus Spiritus sancti. Creator meus adsit mihi, redemptor meus opituletur mihi, paracletus meus cohabitetur mihi. Benedicat me Dominus,

minus,

minus, & custodiat me, illuminet Dominus faciem suam super me, & misereatur mei, leuet Dominus vultum suum super me, & det mihi pacem. Hæc benedictio diuinæ maiestatis sit mihi hodie & quotidie salus, sanitas & protectio contra omnes hostes visibiles & inuisibiles, quemadmodum columna nubis in deserto steterat inter castra filiorum Israël, & castra Ægyptiorum, vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non possent, ne populo tuo Israëlitico detrimenti quicquam inferretur. Ita tu Domine esto mihi columna ferrea, & sis murus æneus inter me & omnes inimicos meos, ne appropinquent ad lædendum me. Largire mihi benignissime DEVS, in hac obscura nocte beneficium somni, vt placidè sine curis & difficultatibus dormiam, ne perturbent me somnia lymphatica & inquieta, in quibus sunt vanitates. Custodi me pijsime Domine, ne sentiam viscerum tormina, nec in cubili meo anhelem grauitèr, neque altum & veternum dormiam, sed sit mihi somnus suauis, atque sanitas intestinis meis, vt manè experrectus secundum voluntatem tuam surgam incolumis, & anima mea deleatur in te DEO salutari meo. Verbum

H 2

tuum

tuum sit mihi quotiescunque per hanc noctem euigilauero meditatio, & oblectatio cordis mei, uisifica me Domine secundum eloquium tuum, hoc enim est solatium meum semper, & vnica spes mea. Saluator mundi DEVS, salua nos uigilantes, custodi nos dormientes, ut uigilemus & requiescamus in pace. Da quoque gratiam, ut cubitum euntes & dormientes, rursusque euigilantes cogitemus de morte nostra, quæ est transitus ad vitam immortalem, simulque recordemur lætæ resurrectionis nostræ ad gloriam perpetuam. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus est firmamentum & refugium meum, DEVS est adiutor meus, in quo sperabo, protector meus & cornu salutis meæ, atque susceptor meus. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero. Ideoque confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam, usque in seculum seculi, Amen.

FERIA

FERIA QUINTA.

I.

B E N E D I C T I O
matutina.

CH R I S T E qui lux es & dies, lucem habitans inaccessam, splendor & fulgor æterni patris, stella matutina, dispellens noctis tenebras, atque proferens lucem diei super faciem terræ, tu es **D E V S**, producens astra matutina, atque conuertens tenebras in lucem. Tibi **D E O** benedicam, & in nomine tuo manus meas cum gratiarum actione leuabo, quod hac nocte caliginosa fuisti lux mea, defendens me à furoribus Diabolorum, & à varijs morbis lethiferis, tu respexisti miseriam meam, & non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, qui aduersus me susurrabant, & cogitabant mala mihi, verbum iniquum contra me constituebant, vt dormiens non posthac resurgerem, tu autem Domine misertus es mei, & resuscitasti me, adiuuisti me brachio fortitudinis tuæ, & propugnasti me manu tua valida contra omnes conatus & impetus hosti-

H 3 les,

les, qui me impugnabant, sub vmbra alarum tuarum quieui securus, in gremio tuo recubui consopitus atq; incolumis, Ego dormiui & soporatus sum, exurrexi, quia tu Domine suscepisti me. O IESV fili DEI Patris omnipotentis, supplicibus votis te inuoco per gloriosam ascensionem tuam ad cœlos, qua omnes nubes earumq; densitates penetrasti, dissipa nunc caliginem mentis nostræ, vt verbo tuo ceu lucernæ apparenti in loco obscuro semper attendamus. Appareat quæso seruis tuis opus tuum, & magnificentia tua super filios eorum, sitq; splendor benignitatis tuæ super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, opus manuum nostrarum dirige, ne præceptorum tuorum obliuiscetes, declinemus ab eis ad dexteram vel sinistram, sed meditemur de illis exurgentes è lectulis nostris, & ligemus ea tanquam monimenta in manus nostras, affigamusq; digitis nostris, vt memoriæ semper hæreant insculpta, ne vnquam in nobis oblitterentur. Ad te Domine in hoc gallicinio matutino palmas meas expando, in sinum tuum preces meas effundo, tibiq; supplico, vt me hodie & cunctis diebus vitæ meæ conserues à manu inferni, & me à

me à pugnīs iniquorum eripias. Domine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum manē, & salus nostra in tempore tribulationis. Emitte manum tuam de alto, & extende dexteram maiestatis tuæ ad saluandum nos, vt confiteamur nomini tuo, & faciles atq; apertas habeamus manus, ad vociferationem inopia laborantium. **DEVS** protector vitæ meæ, custodi me ab incendio & læsione ignis, ab aquarum gurgitibus, à ventis impetuosīs, & turbinibus vorticosis. Libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum ne inundet me tempestas fluuiorum, nec absorbeat me abyssus, neq; claudat super me puteus os suum. Manu tua me protege, ne fulmine ictus peream, ne sagittæ tuæ ignitæ me collidant. Quia in manus tuas committo me, meamq; familiam, Oeconomiam, & totam cognationem meam, honorem, famam, valetudinem, substantiam domesticam, cum omnibus facultatibus meis, foue nos in sinu tuo, conclude nos ouiculas tuas intra septa tua, ne quisquam nos rapiat ex manu tua, qui es pastor noster bonus, viuens & regnans **DEVS**, per omnia secula seculorum, Amen.

H

4

GRA-

GRATIARVM ACTIO
pro victu.

AGo tibi gratias pater cœlestis, rex æternæ gloriæ, qui me ab incunte ætate mea vsque in præsentem horam mirabiliter nutriuisti, dans mihi quotidie cibum, potum & vestes, cum omnibus ad sustentationem vitæ meæ pertinentibus. Tibi Domine semper de nobis cura est, tanquam patri de filijs suis, nec te latet multis subsidijs vitam nostram indigere, & quotidie nouis alimentis opus nobis esse, quæ omnia assiduè largiris pro benignitate tua ineffabili. Fatemur enim, non casu, nec sine prouidentia tua diuina inter nos homines distribui bona corporalia, neque sola humana industria & potentia parari, sed dante te nos colligimus, aperiente te manum tuam, implebitur omne animal benedictione. Idcirco laudabo te Domine **DEVS**, qui facis magnalia in omnibus finibus terræ, qui nos de ventre matris uiuos sustentas, & præstas nobis omnia bona, da nobis quoque cor lætum, & concede pacem temporibus nostris, vt gratia tua exundet in nos, & maneat nobiscum
semper,

semper, atque liberet nos quamdiu fuerimus. Benedictus es Domine DEVS noster, ex tuo afflatu accepimus vitam, in te vivimus, mouemur & sumus, siquidem vitalis spiritus in nobis non solo panis usu & virtute, aut sola humana diligentia retinetur, neque tu fatali cathena causarum secundarum vincetus hæres, sed tuo decreto, tua voluntate respiramus nos, & omnes res creatæ tuo nutu conseruantur quantisper voles. Communica quæso nobis, non tantum omnium rerum necessariam affluentiam, sed tribue quoque cibo ac potui virtutem & potentiam tuam ad vegetanda corpora nostra. Nam nisi tu nos quotidie pasceres arcana gratia, quam pani ad nos alendos inspirasti, nihil efficaciam haberet, quælibet annonæ congeries, abundant licet triticum & vinum, & reliqua omnia, nisi tua benedictione irrigarentur, derepentè elanguesceret eorum usus, & excideret, quæ illis ingenita est vis ad nos pascendos, & famelici in nostra copia essemus. Quanquam enim pane vescimur, non tamen eius virtuti acceptam ferimus vitam, nec tua potentia illi alligata est, neque hominis vita inclusa est pani, sed pendet à nutu & beneplacito tuo.

H 5 Te

Te igitur æterne DEVS propter largissimam munificentiam tuam oro, ne abijcicias me in tempore senectutis, vt cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Similiter confirma nobis fidem & spem, ne promissionibus tuis diffidentes absterreamur vllis contrarijs spectaculis, etiamsi illa omnibus causis physicis aduersentur. Da igitur gratiam, vt nos abducentes oculos ab omnibus consilijs humanis, de victu atque reliquis præsentis vitæ subsidijs fidamus tibi, ne quisquam nostrum præscriptas à te metas transiliat, per CHRISTVM Dominum nostrum, Amen.

III.

PETITIO VNITATIS
fidei veræ.

Æterne DEVS, qui nos ad vnitatem veræ fidei catholicæ, per verbum tuum vocans in gremium matris Ecclesiæ Christianæ colligis, vt simus omnes nos vnum corpus, & vnus spiritus, quemadmodum vocati sumus in vna spe vocacionis nostræ, vni quæso corda nostra ad timen-

mendum nomen tuum : Et da , vt omnes fideles tui sint tecum similiter affecti, atque tam mentibus quam voluntatibus in doctrina vera , & legitimo vsu sacramentorum, nec non in externis vitæ moribus honestis inter se conueniant. IESV CHRISTE mediator vnice, qui ante vltimum agonem mortis tuæ precatus es pro nobis & omnibus credituris, vt sint vnum in te, quemadmodum tu in patre, fac vt Ecclesia tua sit concors in vnitate veræ confessionis, maneatq; inter nos omnes pius consensus, sit vna vox fidei, vna vox inuocationis, & coalescamus in te, atque sint omnium nostrum corda per idē vinculum Spiritus sancti copulata, vt donis tuis rectè vtentes ad tuam gloriam, & communem Ecclesiæ & Reipub. utilitatem, quamplurimis prodesse studeamus. Veni sancte spiritus coniunge mentes nostras, vt concordiam Christianam, ceu harmoniã quandam firmissimis nexibus consolidatam foueamus, omnesq; concordibus animis cõglutinati vnanimis in te simus. Conserua nos in vero & orthodoxo consensu sacrorũ voluminum, vt sine dissensionibus & altercationibus idem in CHRISTO IESV dicamus, ne sint inter nos dissidia & schismata,
& ne

& ne quid fiat per contentionem aut per inanem gloriam, sed simus omnes nos vnum corpus eadem mente & sententia præditi iuxta verbum tuum nobis reuelatum, donec perueniamus omnes ad perfectam agnitionem CHRISTI, qui est caput, in quo totum corpus coagmentatum & compactum, per omnem commissuram subministrationis incrementum corporis facit in ædificationem suiipsius per caritatem. O sancta Trinitas, reprime Diabolorum & mundi furores, qui dissidia turbantia fidem & inuocationem ferunt: Aufer à nobis carnis zelum, qui est secundum stulticiam, & procul sit à nobis omnis inuidia, liuor, inimicitia, tumor, arrogantia, respuamusque stultas & ineruditas quæstiones, quæ pugnas pariunt, & ad nullam vtilitatem, sed tantum ad subuersionem audientium, & ad ferendas hæreses conferunt. Reduc omnes auersos, vt sit vnus pastor ac vnum ouile, & qui à nobis egressi sint, maneat nobiscum idem docentes Euangelium ad saluandas auditorum animas. Sicubi autem fuerint qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam didicimus, gignunt, da nobis gratiam, vt ab illis declinemus. O clemen-

men-

mentissime **D E V S**, largire nobis idem mutuo inter nos sentire, vt vnusquisque nostrum remittat fratri suo ex corde debita eius, quemadmodum tu nobis remisisti debita nostra in **C H R I S T O I E S V** saluatore nostro, Amen.

IIII.

P E T I T I O P A C I S.

ALtissime **D E V S**, misericors Pater, qui non dissensionis, sed pacis autor, non confusionis, nec inordinatæ vitæ, sed disciplinæ & tranquillitatis custos, da nobis seruis tuis illam, quam mundus non potest dare pacem, vt corda & opera nostra mandatis tuis dedita, temporaq; sint tua protectione tranquilla, gubernata totum Ecclesiæ & politicæ statum, ac moderare vitam nostram, vt oriatur in diebus nostris iusticia & abundantia pacis, quamdiu steterit luna. Loquere tu pacem in plebem tuam, & super sanctos tuos, & in eos, qui conuertuntur ad te **D E V M** verum. Prope timentes te sit salutare tuum, vt habitet gloria in terra nostra: Misericordia & veritas obuiant sibi, iusticia & pax osculentur se inuicem, veritas de terra oriatur


atur, & iusticia de caelo prospiciat. Suscipiant montes pacem populo tuo & colles iusticiam. Benefac Domine terris, vrbibus & cunctis oppidis atque locis, in quibus verbum tuum habitat, & purè docetur. Sit pax multa diligentibus legem tuam, & non sit illis scandalum, fiat incolumitas in muris eorum, & securitas in turribus eorum. Domine conforta seras portarum nostrarum, & benedic filijs tuis in te, pone terminos nostros pacem, & adipe frumenti satia nos, vt verbum tuum incorruptum, non tantum in mœnibus, sed etiam in mentibus nostris ad gloriam nominis tui, & ad salutem animarum nostrarum habitet. Præsta Domine cunctis hominibus cuiuscunque ordinis & conditionis sunt, tranquillitatis studium, vt sua sorte contenti viuant pacificè, & spartam quam nacti sunt, ornent pro viribus, ne avaritia & appetitione alienarum facultatum, prouinciarum aut dignitatum, neue ambitione dominandi, & cupiditate inanis gloriae per superbiam allecti, seditiones & motus bellorum in territorijs nostris excitent. Si autem inter nonnullos controuersia, lites & similtates essent ortæ, tu potentissime

sine **D E V S**, reconcilia eorum corda, ut hæ faces & incendia consopiantur. Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici, nihil proficiat hostis in nobis, & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

O D E V S pacis, qui aufers prælia vsque ad finem terræ, qui conteris arcum & confringis arma, atque scuta comburis igni, custodi nos à bello & cæde, dissipa gentes, quæ prælia volunt, & lanceis delectantur.

Impedi omne malum consilium & voluntatem illorum, qui nihil satiant ac meditantur, quam ut sanguinem profundant. Redde tabernaculum nostrum securum, ut sit in circuitu mensæ nostræ opulenta tranquillitas, quæ abundet instar fluminis latissimi alueos suos excedentis, & sit iusticia nostra, sicut gurgites maris, qui nunquam destituuntur aquis. Largire nobis omnibus pariter gratiam ex corde condonandi ijs, à quibus in nos peccatum est, utque illis libenter beneficiamus, in **C H R I-**

S T O I E S V Domino nostro, Amen.



O R A-

O R A T I O P R O
incredulis.

AD te Domine pater conditor omnium hominū clamo, qui diues es in omnes inuocantes te. Tu enim iussisti è tenebris lucem emicare, vocando nos ad participationem sortis sanctorum in lumine, qui eramus natura filij iræ & mortis, abalienati & extranei à testamentis promissionum, spem non habentes, Deoque carentes in hoc mundo, nunc autem per tuam gratiam facti sumus conciuues sanctorum, ac domestici tui extracti super fundamento Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide ipso **I E S U C H R I S T O**, qui gestat totum ædificium verbo potentiae suæ. Exaudi Domine supplicantes tibi, pro vniuersis, qui nondam audiuerunt verbum Euangelij, nec nouerunt nomen tuum, qui in tenebris & in vmbra mortis sedentes, mentem habent obscuratam, & sunt abalienati à vita, propter ignorantiam, quæ est in illis, quiq; ad simulacra muta, & numina commentitia procidentes adorant illud, quod non est **D E V S**. Tolle quæso velum à cordibus

bus Iudæorum, ne in lectione veteris testamenti cœcutientes, in lapidem scandalî & petram offensionis per incredulitatem & duritiem ceruicis eorum impingant. Gentes quoque illumina, vt sapientiam huius mundi exuentes, & captiuam ducentes omnem cogitationem, mysteria tua, quæ nobis in verbo tuo reuelâsti, amplectantur, ad obediendum veritatî Euangelicæ. Similiter te rogo pro omnibus illis, qui etsi non manifestè, & ex toto reluctantur fidei & religioni Christianæ, habent tamen professionem hanc cum multis superstitionibus & abusibus coniunctam, colentes & inuocantes sanctos mortuos, qui ex hac vita emigrarunt, aut addicti sunt ceremonijs externis atque elementis huius mundi, onerantes conscientiam suam humanis obseruationibus, & patrum traditionibus, aut confidentes propriæ iusticiæ, siue operibus & viribus carnis suæ, illisq; innixi quærunt propriam iusticiam constituere. Da gratiam, vt eis innotescat verbum tuum diuinum, atque prædicetur hoc in omni terra, quô etiam inueniaris ab his, qui te non quærebant, & conspicuus fias his, qui de te non interrogabant, ne pereat anima vlla, quam vni-

I ginitus

genitus tuus suo sanguine precioso redemit. O DEVS lux cæcorum, reduc illos, qui labyrinthis inextricabilibus, errorum plenis impliciti, patrocinantur corruptelis nonnullis, vt spiritu tuo illustrati ad viam redeant meliorem. Qui autem præfracto animo & collo inflexibili, fronteq; perfrieta obstinatè cum affectata ignorantia Spiritui sancto repugnant, hos cohibe, & furores eorum reprime, ne cædibus & persecutionibus Ecclesiam tuam contristant, quam reparauit obedientia, & morte sua vnigenitus tuus, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti æternus DEVS, per omnia secula seculorum, Amen.

VI.

ORATIO PRO
benefactoribus.

BENIGNISSIME DEVS, fons omnis misericordiæ & bonitatis, munificentiam tuam prædicabo, & mirabilia tua commemorabo, non reticebo beneficia tua. Tu enim me non tantum creasti, dans mihi corpus & animam, rationem & omnes sensus, quos adhuc conseruas, protegendo me contra omnia pericula,
sed

sed & me damnatum hominem à potestate satanæ, per preciosum sanguinem filij tui redemisti, & Spiritu tuo sancto ad vitam æternam viuificas. Quid retribuam tibi **D O M I N O** pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen tuum inuocabo, laudans celebrabo te **D O M I N U M**, & annuntiabo opera tua, glorificabo te **D E V S** vitæ meæ, & gratias agam nomini tuo altissimo, quoniam bonus es, & in æternum manet misericordia tua, tibi fit laus perennis, & gloria in secula seculorum. **O D E V S** Pater misericors, oro te pro cunctis benefactoribus meis, qui me educarunt, nutriuerunt, & in vera religione instituerunt, honestis disciplinis imbuerunt, atque vocationi honorificæ destinarunt, fortunis, honoribus, & alijs beneficijs affecerunt, vt eis vniuersis & singulis vicissim benefacias, hic & in futura vita. Recordare quæso illorum, qui opera caritatis & misericordiæ in me contulerunt iuando, promouendo & consolando me, siue verbis siue operibus, denique omnium illorum meminisse velis in bonum, pro quibus obligatus sum orare, quorum nomina

I 2

& ne.



& necessitates tibi notæ sunt, hos vniuersos tibi commendo, vt beneficia illorum præmijs cùm corporalibus tum spiritualibus compenses. **DEVS** retributor optime, tibi est potestas & misericordia, vt reddas vnicuiq; secundum opera sua, retribuere dignare omnibus de me benè meritis, vt secundum multitudinem miserationum tuarum præmia largissima à te recipiant. Miserearis & illius, qui habuit rationem egeni & pauperis, atque liberes eum in die malo, conserues, viuifices, & beatum facias eum in terra, & non tradas eum in voluntatem inimicorum eius, sed opem illi feras, super lecto doloris sui, & in die tribulationis exaudias eum. **CHRISTE** fili **DEI**, qui tibi imputas quicquid officiorum tuis impenditur famulis, adeo vt ne poculum frigidæ aquæ irremuneratum sinas, ad te clamo, memento obsecro illorum, qui me omnium beneficiorum genere refocillarunt, benedic eis & familijs eorū, vt successibus atq; incrementis omnium bonorum ædificentur & augeantur, misericordiamq; in die illo, quando omnes sistentur ante tribunal tuum, inueniant. Spiritus sancte **DEVS** aufer à nobis ingratitude, vitium in re-
rum na-

rum natura turpissimum, siquidem ingrati spes tanquam hybernalis glacies liquefcet, & sicut aqua inutilis diffluet, dele in nobis vindictæ cupiditatem, ne cuiquam malum pro malo reddentes pœnam talionis nobis accersamus. Miserere mei **DEVS**, & exuscita me, vt tribuam bona cunctis benefactoribus meis, si autem virium mearum non fuerit rependere, retribuatur illis in resurrectione iustorum, Domine tu retribues pro me, Domine misericordia tua manet in seculum seculi, Amen.

VII.**PRECATIO CONTRA
mundi scandala.**

PAter cœlestis, immense **DEVS**, qui totum mundum ita dilexisti, vt filium tuum vnigenitum dares in salutem omnium credentium, mundus autem in maligno positus, non agnoscit hanc caritatem tuam, sed planè est Epicureus, Ecclesia malignantium, semina impiorum & colluies sceleratorum hominũ, qui magis diligunt tenebras, quam lucem. Omnia siquidem in hoc exulceratissimo seculo referta sunt

I 3 scele-

Sceleribus terris & scandalis horribilibus, præsertim verò in hac vltima & delira ætate, in qua grauiora & tristiora sunt peccata huius mundi senescentis: Ad te **D O M I N E** suspiro, segregam me ex caligine, dolis & turpitudine huius seculi, & retrahe me ab appetitione terrestrium rerum, vt inseratus tuo cœtui, in quo habitat diuinitas, quæram superna, non terrena seu caduca, & momentanea. Pater iuste, mundus te non cognouit, sed tantummodo filius tuus nouit te, & illi, quibus ipse notum fecit nomen tuum, conserua nos in vera agnitione nominis tui, vt tu in nobis glorificeris, ne sapiamus terrena, sed mente in cœlestibus habitantes quæramus, quæ supra nos sunt, & efficiamur diuinæ naturæ tuæ confortes, refugiamusq; à corruptione, quæ est in hoc seculo. **CHRISTE** redemptor noster, qui elegisti nos ex hoc mundo, ne eum imitantes condemnemur cum eo, da gratiam, vt omnes qui iurauerunt in nomen tuum, quod princeps huius seculi oppugnando infestat, inuicti maneant ad euitandam omnem occasionem lapsuum, ne nos teneat cura seu amor huius mundi, neq; omnium illorum, quæ in eo sunt. Spiritus sancte **D E V S**, instilla mihi scientiam

tiam


tiam cœlestem, quæ è supernis descendit, vt in rebus spiritualibus sapientiam mundi, quæ est stulticia apud DEVM, exuam, & verbo tuo diuino in simplicitate animi ex corde credam, sitq; mihi mundus crucifixus, & ego eidem per abnegationem meipsum, & per renunciationem omnium illecebrarum eius. Erudi nos, vt abnegata omni impietate iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ DEI magni, & saluatoris nostri IESV CHRISTI, qui dedit seipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquatione, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum, ne in hac auara & ebria mundi ætate inuoluamur curis secularibus, quæ animos ab exercitijs pietatis abducunt, & motus à spiritu sancto excitatos suffocant, ne simus dediti voluptatibus huius seculi, & ne ingrediamur viam spaciosam, neque per portam latam, quæ abducit ad exitium æternum, sed incedentes per angustam portam perueniamus ad regnum cœlorum, vbi tu viuis & regnas vnus & verus DEVS, in trinitate perfecta, per infinita secula seculorum, Amen.

B E N E D I C T I O
vespertina.

GRatias ago tibi rex cœli & terræ, quod me manu tua forti, & brachio extento per hunc diem ab omnibus periculis protexisti. Dexterâ tuâ Domine exaltauit me, dexterâ tuâ fecit virtutem, & custodiuit me hodie ab omni malo, custodiuit animam meam Domine, idcirco recordabor tui super stratis meis, & in vigilijs nocturnis meditabor de te, quia fuisti adiutor meus, & in velamento alarum tuarum exultabo. Benedicam tibi Domine in atrijs domus tuæ, in noctibus extollam volas meas ad sanctuarium tuum, & benedicam tibi, eleuatio manuum mearum sit tibi sacrificium vespertinum. Nunc autem ad te expando manus meas supinas, in hoc crepusculo nocturno, teque supplex rogo, vt mihi ignoscas omnia peccata mea, quæ hodie palmis meis operando & omittendo feci, contra te atque proximum meum, ecce manus nostræ pollutæ sunt, & digiti nostri iniquitate multa infecti sunt, transgressiones nostræ coram te sunt, & respondent contra nos, at tu Domine, ne respicias

spicias populi tui delicta, sed recordare testamenti tui, quod nobiscum pactus es sanguine filij tui, nec intendas ad impia studia nostra, sed memento, quod testimonia tua inter nos sunt incorrupta, & verbum tuum incontaminatum. Domine in necessitate mea te quæro, manus mea extensa tibi supplicat, & non remittitur, vt hac nocte vmbriфера & opaca sis lux mea, illuminans omnem caliginem habitaculi mei, ne extinguatur noctu lumen meum. Cum sedero in tenebris, tu **DEVS** illuminabis lucernam meam, ne obdormiam in morte, colliges me, meosq; omnes quemadmodum gallina suos pullos sub alis congregat, & gestabis nos humeris tuis tanquam ouiculam, quæ à suo pastore requisita & inuenta portatur in sinu suo, ne eam aliquod detrimentum attingat, Domine liberabis me à laqueo aucupis, & à peste noxia, scapulis tuis me obumbra- bis, & sub pennis tuis sperabo, scuto circumdabit me veritas tua, ne timeam à pavore nocturno, nec à lue per caliginem grassante, cadent à latere meo mille, & decem millia à dextris meis, ad me verò non appropinquabit. Eripe me Domine de manibus inimicorum meorum, & à perse-
I 5 quenti-

quentibus me libera me, qui meditantur in
 cubilibus suis iniquitatem, & non dormi-
 unt, nisi malefecerint, nec capitur ab illis
 somnus, nisi manus eorum damnum patra-
 uerint. **DOMINE** sis protectio mea super
 manum dextram meam, & quemadmo-
 dum per diem sol me non adussit, ita ne-
 que luna me lædat per noctem. **DOMINE**
 tu es lux & salus mea, quem timerem?
 Domine tu es protector vitæ meæ, à quo
 trepidarem? Si obsideant me castra, non
 timebit cor meum, & si consurgant aduer-
 sum me maligni ad deuorandam carnem
 meam, in hoc ego sperabo, quod tu me ab-
 scondes tabernaculo tuo in die malorum,
 & obteges me latibulo tentorij tui. Tu
 enim es **DEVS**, qui facis arcturum & ori-
 ona, producens hesperum atq; expandens
 stellas noctu in firmamento cœli: Tibi &
 in manus tuas committo me, totamq; fa-
 miliam meam, tu nos custodi sub alis tuis,
 & abige cubitu tuo vniuersos hostes no-
 stros, qui oppugnare nos conantur, qui es
 clypeus & protector noster viuens &
 regnans in secula seculo-
 rum, Amen.



FERIA

FERIA SEXTA.

I.

B E N E D I C T I O
matutina.

Domine DEVS rex Zebaoth, sedes tua est cœlum, & scabellum pedū tuorum est terra, tibi flecto genua mea, gratias agens, quod hac nocte per tuam bonitatem saluus & incolumis conseruatus sum, ne flammaram incendijs, & adustionibus concrematus, nec ventorum & turbinum sæuitia euersus, neque aquarum alluionibus absorptus fuerim, sed pro tua clementi voluntate eripuisti animam meam de medio leonum, inter quos cubabam, & scuto salutis tuæ circumdedisti me, perinde vt pastor excubias agens obambulat gregem suum. Quapropter cantabo fortitudinem tuam, & manè laudabo misericordiam tuam, qui lumbos meos virtute accingis, surasq; meas consolidando corroboras, vt ex lectulo surgens tibiæ meæ non hallucinentur. Oro te Pater cœlestis DEVS, per sanguineum sudorem filij tui, DOMINI nostri IESV CHRISTI, vt
hac

hac matutina hora humectes & liquefaci-
 as corda nostra spiritus sancti gratia, instar
 roris antelucani, qui matutino tempore
 expansus madefacit & imbuit terram, atq;
 ceu pluuia matutina, quæ stillicidijs & gut-
 tulis suis rigat arida eius ad fructificandum
 germen & herbam, ita tu Domine gratiam
 tuam super nos manè extende, & pectora
 nostra rigida cœlesti tuo rore asperge, vt
 quæramus te manè, ac reuertamur ad te
 DEVM nostrum cognoscentes egressum
 tuum, qui paratus est quasi aurora, & venies
 nobis expectatus tanquã imber tempesti-
 uus, qui terram fœcundat. Vias tuas Do-
 mine demonstra mihi, & semitas tuas edo-
 ce me, gressus meos dirige secundum elo-
 quium tuum, ne dominetur mihi vlla iniu-
 sticia, neque claudicans veritate excidam,
 ab omni via mala pedes meos prohibe, ne
 exorbitantes à calle rectitudinis ad anfra-
 ctus, & obliquos diuerticulorum fluxus
 declinent. Deduc me Domine in semitis
 iudiciorum tuorum, vt verbum tuum sit
 lucerna pedibus meis, ad vitandas Satanæ
 decipulas, ne perplexitatibus eius irretiar.
 Eripe me Domine ab hominibus iniquis,
 qui cogitauerunt supplantare gressus me-
 os, absconderunt superbi laqueum mihi, &
 funes

funes extenderunt mihi in rete, iuxta iter
scandalum mihi posuerunt, ad trahendum
me in casses suos, at tu **DEVS** libera ani-
mam meam de morte, & pedes meos à la-
psu, ne à sanguinolentis hominibus, à la-
tronibus, homicidis, & furibus, quorum
pedes sunt veloces ad effundendum san-
guinem innocentem, capiar: præserua me
quoque à bestijs immanibus, ne feræ cru-
entæ vnguibus suis me discerpant & lace-
rent, neque equorum calcibus pessunder.
Custodi calcaneum meum à morsibus co-
lubrorum, ne à serpentibus, viperis & an-
guibus læsus perimar. In nomine tuo
æterne **DEVS** super aspidem & basili-
scum ambulabo, & conculcabo leonem
atq; draconem, nec nocebit mihi, quia tu
es **DEVS** & saluator meus, in quo omnis
spes mea consistit. Ad te igitur vnicum no-
strum asylum confugio, & ad pedes tuos
proijcio me supplicem, meamq; familiam,
cum omnibus propinquis, qui aut cognati-
one aut affinitate aliqua mihi sunt iuncti,
vt stes à parte nostra contra dæmones ho-
stes nobis infensissimos, & contra omnes
aduersarios, qui nos insectantur, ne quid
iuris in nobis reperiant, per omnia secula
seculorum, Amen.

G R A

GRATIARVM ACTIO
pro passione Christi.

GRatias ago tibi Domine IESV Chri-
ste, DEVS & homo, quod me miserum
peccatorem & damnatum hominem, per
passionem tuam sanctam redemisti, quum
in monte oliueti propter scelerum nostro-
rum multitudinem, incurrentem in te, &
ex sensu iræ patris sæuissimæ percellentis
animam ac vires corporis tui, cruciatu &
terrore ingenti grumis manasti sanguineis,
vt guttæ spissi & coagulati cruoris in ter-
ram defluerent, ibiq; ab omnibus discipu-
lis tuis derelictus, in manus cruentissimas
Iudæorum temetipsum vltro ex libera vo-
luntate tua tradebas, qui te captum & ri-
gidissimè ligatum sine omni commiseratione à conspectu vnus iniusti iudicis, ad
alterum crudeliorem deducebant, teq; fal-
sis accusatum testimonijs, præter omnem
iuris æquitatem & processum ignominio-
sè conspuebant, milites faciem tuam velan-
tes dabant tibi alapas, & multis sarcasmi-
tuos exasperabant cruciatus. Corpus tuum
sanctissimum ita erat flagris proscissum &
dissectum, vt ethnicus homo videns cum
magna commotione diceret, Ecce homo:
tan-

Gratiarum actio pro passione Christi. 111

tandēq; inter duos latrones ligno suspen-
sus, tanquam maledictus à Deo, affectus es
trucissimo mortis genere, in patibulo cru-
cis per manus & pedes transfixus, ibiq; cū
summis dolorib⁹ luctatus, in morte efflasti
animam tuam, quem commendabas Patri
tuo carissimo. O Iesu Christe, agne Dei im-
maculate, in quo dolus non est, tu iustissi-
mus pro sceleratissimis tam dira & atrocita
passus es, nam propter iniquitates nostras
vulneratus, & propter peccata nostra at-
tritus sustinuisti plagas populi tui, idque ex
mera & gratuita misericordia tua, sine om-
ni merito & dignitate nostra, vt nos per li-
uores tuos sanati à reatu tam culpæ quàm
pœnæ æterno Patri tuo reconciliaremur,
ne ira eius, quæ est ignis cōsumens, nos ab-
sorberet, sed per te vitam, iusticiam, & salu-
tem perpetuam haberemus. Pro his tor-
mentis, & omnibus alijs passionibus tuis,
sit tibi laus & gratiarum actio perennis, teq;
humiliter oro fili DEI, effice, vt passio tua
non sit inanis, & irrita in me, sed præsentis-
sima & saluberrima medicina in omnibus
necessitatibus meis, ac illius semper memor
consolationem in corde meo firmam con-
tra omnes tentationes diabolicas sentiam,
sit & mihi crux tua exemplam patientiæ,
vt ve-



vt vestigijs tuis insistens non referam maledicta maledictis, sed imitando tolerantiam tuam benè precer deuouentibus me. Denique ita mediter mortis tuæ causam, vt flammæ illiciti amoris in me extinguantur, & omnes illecebræ carnis consopiantur: Contra verò exuscitentur semina pietatis, atque virtutum amor in me alatur, vt sic totus peccatis emortuus iusticiæ uiuam, & tibi seruiam regnanti cum Patre in unitate Spiritus sancti DEO, per omnia secula seculorum, Amen.


III.

PETITIO VERÆ
pœnitentiæ.

Dominator DEVS, qui es misericors, clemens, longanimis, & multæ patientiæ ac veritatis, seruans bonitatem tuam in mille generationes, auferens iniquitatem, scelera & peccata eorum, qui conuertuntur ad te. Non enim delinquentes protinus obruis ira tua iustissima in ipso actu eorum nefario, sed das spacium pœnitentiæ, quod maximum est indicium, te non velle mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & uiuat. Misericordissime Deus,

DEVS, tu nosti segnitiam cordis humani,
& infirmitatem carnis nostræ, quod per
originale vitium turpissimè lapsi sumus,
adeo vt per nosmetipsos resurgere & re-
uertiri nequeamus. Ad te clamo, conuerte
me Domine, & conuertar, quia tu es **D**E-
VS meus, & conuersus agam pœnitenti-
am. Ostende mihi errata mea per legis
prædicationum, & moue cor meum spiri-
tu tuo, vt sentiens compunctionem animi
verè doleam de peccatis admissis, & femur
meum cum gemitu & fletu multo percuti-
am. O Christe dulcissime, respice me oculis
misericordiæ tuæ, quemadmodum mu-
lierem peccatricem in conuiuio, quæ ad
pedes tuos prouoluta amarè flagitia sua
deflebat, aspexisti, itemq; Publicanum pro-
cul stantem in templo, nolentem oculos
suos præ scelerum commissorum pudore
ad cœlum attollere, sed qui percutiens
pectus suam dicebat, **D**EVS propitius
esto mihi peccatori: ita largire mihi gra-
tiam tuam, vt inter omnes pauores & ter-
rores animi te vera fide apprehendam, ne
in lucta conscientiæ desperando succum-
bam, sed voce Euangelij erectus ad te
mediatorem meum perpetuo confugiam.
Spiritus sancte **D**EVS interfice veterem
K homin-

hominem, & restitute in me ius legis tuæ, ut tibi ex corde obediam, ambulans in nouitate vitæ, ne iam concupiscentijs carnalibus, sed voluntati tuæ, quod superest tempus, ad gloriam tuam, & animæ meæ salutem, viam. Omnipotens & misericors **DEVS**, reprime hypocritas, qui ad blandiuntur affectibus suis, & mala interiora in nostra natura hærentia extenuant, atque de lege tua falsò iudicant, ignorantes eam esse spiritualem, arguentem quoque inclinationes ad malum. Aufer cor ferreum & adamantinum, quod pœnitentiæ est nescium, ne quis inter nos delicta sua excuset & defendat. Prohibe quoq; Satanam, ne consternatas mentes exaggerando peccata eorum supra misericordiam tuam ad desperationem adigat. O pijsime **DEVS**, regenera nos spiritu tuo, ne contemnendo diuitias bonitatis tuæ, iram tuam sæuissimam nobis cumulemus, sed ut omnes peccatores ad te conuersi, verbum tuum audiant ad pœnitentiam, constituentque nouum gaudium in cœlo cõram tuis Angelis in omni æternitate, Amen.


PETI-

IIII.

PETITIO CHRISTIANÆ
PATIENTIÆ.

Omnipotens æterne DEVS, Pater
DOMINI nostri IESU CHRISTI,
qui es solatium infortunatorum, gaudium con-
tristatorum, *evangelium* derelictorum, refu-
gium nostrum in tempore tribulationis,
DEVS omnis patientiæ & consolationis.
Tibi utique nota est carnis nostræ imbe-
cillitas, quod natura pauidi & formidulosi
sumus, qui in cruce & varijs periculorum
calibus subsistere ex viribus nostris non
possumus. Idcirco ad te votis ardentibus
clamamus, conserva nos sub cruce solidos
in fide, firmos in spe, & constantes in pa-
tentiæ, ut iniurias quaslibet insultantes &
deuorantes, res aduersas æquo animo to-
leremus, tibi que iudici veracissimo vindi-
ctam commendemus, ne fracti dolore ali-
quid contra mandatum tuum faciamus
aut omittamus, sed agnitione voluntatis
tuæ ærumnas nobis à te impositas, suffera-
mus cum inuocatione auxiliij tui. Instilla
nobis cogitationes pias, ut credamus tuo
consilio gubernari Ecclesiam, & sine per-
missu tuo non esse malum pœnæ, quod tu

K 2 Domi-

Domine non immittis, atq; sic credamus bona & paterna tua voluntate nos castigari, propter reliquias peccati, hærentis in hac corrupta natura, vel vt excitemur atq; confirmemur in exercitijs contritionis, fidei, confessionis, inuocationis, patientiæ, & similiarum virtutum. Multam quoq; nostra interest premi & humiliari carnem nostram indomitam, vt in officio contineatur, iniecto freno, ne laxata habena ferociat, excutiendo iugum tuum, siquidem res secundæ etiam sapientum & piorum animos dementant, atq; petulantes reddunt, ac nisi huius ærumnosæ vitæ pertæsi fuerimus, haud quaquam ad cœlestem patriam aspirabimus. Quapropter te rogo æterne DEVS, iuua nos, vt per tolerantiam curramus, in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem & consummatorem IESVM, qui & suam ignominiosam mansuetè pertulit crucem, & cogitemus, quod is talem à peccatoribus aduersus se contradictionem sustinuerit, ne defatigati animis deficiamus, sed omni robore confortati iuxta potentiam gloriæ tuæ, ad omnem patientiam, in cunctis tentationibus inconcussi maneamus, non abijcientes fiduciam nostram, quæ magnam
habet

habet præmij retributionem. Proinde re-
ge mentes nostras, ne calamitates & affli-
ctiones in hoc seculo nobis casu, præter
tuam voluntatem accidere existimemus,
neue te nobis infensum suspicemur, quan-
do cum aduersa fortuna conflictamur, sed
cognoscentes tuam paternum esse consili-
um, vt hic tecum constituti sub crucis onere,
tecum quoque in futura vita conregne-
mus. Benedicte **DEVS**, & Pater Domini
nostri **IESV CHRISTI**, qui es Pater
misericordiarum, & **DEVS** totius conso-
lationis, consolare nos in omni tribulatio-
ne nostra: Et ne nos inducas in tentatio-
nem, sed da gratiam, vt cum oppugnati fu-
erimus, tandem vincamus ac triumpho-
mus, per **CHRISTVM** Dominum no-
strum, Amen.

V.

**PRO PRÆGNANTIBVS
& puerperis.**

Æterne **DEVS**, qui ex spermate vi-
rili, infantem viuum in vtero mater-
no fabricas, & coagulatum sanguine eum
in inuolucris nouem menses nutris, vt per
canalem e matre sua succum vitæ hauri-

K 3 ens,

ens, figuretur caro. Tibi D O M I N E con-
fiteor, quod artificiosè miris modis for-
matus sum, miranda sunt opera tua D O-
M I N E, & anima mea cognoscit ea admo-
dum. Informem & rudem massam me-
am viderant oculi tui, quam varijs distin-
xisti membris, manus tuæ D O M I N E fece-
runt & plasmauerunt me, pelle & carni-
bus vestijsti me circumquaque, ossibus &
neruis compegisti me, vitam & misericor-
diam tribuisti mihi, & visitatio tua custo-
diuit spiritum meum. Ad te creatorem
generis humani vociferor, vt omnibus
gravidis mulieribus impertias tuam grati-
am, ad considerandum diuinæ mentis tuæ
decretum, ne contra voluntatem tuam
murmurent, aut tibi per impatientiam
vterum gestando reluctentur, sed in vera
inuocatione nominis tui æquo animo to-
lerent crucem suam, scientes, se tibi recon-
ciliatas esse per semen mulieris, I E S V M
C H R I S T V M, qui contriuit caput ser-
pentis antiqui. Custodi omnes vicinas
partui, ne abortiant, neque terribili contri-
stentur aspectu fœtū monstruosum produ-
cendo. Iuua omnes parturientes, vt enixæ
felicem habeant successum, suppedita vi-
res tam matri quàm infantulo, prodienti
ad car-

ad cardines matricis, vt tristitia illarum
vertatur in gaudium, ne meminerint pres-
suræ, & anxietatis suæ strictissimæ. Largire
quæso cunctis infantibus vtero materno
contentis, vt compacti omnibus membris
& venis incolumes absq; deformitate &
næuo edantur in lucem, illisq; recens
natis exhibe tuam gratiam, vt ad sacrum
baptismatis fontem allati inicientur salu-
tari aqua, per lauacrum regenerationis &
renouationis Spiritus sancti, quem tu ef-
fundes in eos opulenter, per I E S V M
C H R I S T V M seruatorem nostrum, atq;
sic iustificati illius gratia hæredes effici-
antur, iuxta spem vitæ æternæ, & fiât noua
creatura per illum. Confirma omnes pu-
erperas & lactantes, vt restitutæ in pristi-
nam valetudinem recuperent vires suas,
ac glorificent te adiutorem in opportuni-
tate, discantq; tibi in posterum fidere, qui
prope es omnibus inuocantibus te in ve-
ritate. Sicubi autem iudicio tuo imper-
uestigabili abortiuus ederetur foetus, con-
solare pijsime D E V S parentes contrista-
tos & lugentes, ne despondeant animum,
sed potius cogitent hunc lætuosum ca-
sum esse probationem fidei, spei & patien-
tiæ suæ, quia tu es D E V S iustus, miseri-

cors & benignus, qui remittit peccata & iniquitates, post tempestatem inducis serenitatem, post lachrymas exultationem restituis, sit nomen tuum benedictum **D E V S** viuens, in omni æternitate, Amen.

VI.

O R A T I O P R O
captiuis.

Dominator **D E V S**, tu in cœlo parasti sedem tuam, regnum tuum est regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione: Tuam ego imploro misericordiam, vt omnibus captiuis succurras, qui in carceribus & vinculis detinentur, aut seruitute durissima oppressi coarctantur, & præsertim, qui propter confessionem Euangelij persecutiones, exilia, pericula vitæ, famæ & facultatum sustinent, vt eos spiritu tuo confoles, liberesq; à constrictionibus immanissimis, atque tandem des media licita, secundum tuam sapientiam ad euadendum tyrannorum manibus. **D O M I N E** reduc captiuos, & in exilium pulsos propter nomen tuum, vt confiteantur tibi, & laudem tuam prædicent. Contere portas æreas, & con-
fringe

fringe vectes ferreos, educ fideles tuos,
qui manicis & pedicis ligati sunt. Vtinam
tu DEVS exaudires gemitus compedito-
rum, & solueres filios interemptionis, vti-
nam tu Domine conuerteres captiuitatem
populi tui, tunc fieremus sicut somnian-
tes, & repleretur os nostrum gaudio, lin-
guaque nostra exultatione, tunc dicerent
inter gentes, magna fecit DOMINVS
cum eis, magnificè egit DOMINVS no-
biscum, facti sumus letantes. Conuerte
DOMINE captiuitatem nostram, sicut
torrentes in austro, quia tu solus es adiu-
tor noster, & salus in tribulatione, qui
educis vinctos per fortitudinem tuam,
& non despicias gemitus afflictorum, vt
omnes sciant, quod tu sis DEVS noster,
cum contriueris catenas iugi ipsorum, &
erueris eos de manibus imperantium. Si
qui autem iuxta consilium tuum arcanum,
ad pròbandam fidem & patientiam eorum
diutius in exilio & seruitute esse debent,
hos tu solare spiritu tuo, & iugum eorum
mitiga, vt inueniant gratiam in oculis illo-
rum, quibus seruire coguntur. Inprimis
verò conserues eos in confessione vera
fidei & religionis Christianæ, contra
omnes falsos cultus, vt in cunctis necessi-
tibus

K 5 tatibus



tatibus consolentur seiplos gratuita remissione peccatorum, per CHRISTVM reparata, & sint corda eorum obsignata arrabone Spiritus sancti, testimonium perhibentis eorum conscientijs, de liberatione ex captiuitate & regno inferni. O CHRISTE redemptor noster, libera animas nostras à catenis tenebrarum, & laqueis mortis, qui vinculis te ligari passus es, vt peccatorum nostrorum nodos & constrictiones durissimas solueres. Da gratiam sancte Spiritus, rector animarum, vt ductui & gubernationi tuæ pareamus, ne fanibus iniquitatis implicati fiamus mancipia iniusticiæ, neue irretiti traditionibus humanis, conscientias nostras illaqueemus falsis opinionibus, sed liberi ab elementis huius mundi, in libertate Christiana, illaque non abutentes ad offensionem vllius hominis, tibi DEO vero seruiamus. Eripe me miserum hominem ex hoc corpore morti obnoxio, quod me captiuum reddit legi peccati, vt liberatus ab omnibus malis, tibi DEO seculorum omnipotenti seruiam in vita æterna, vbi tu regnas iugiter DEVS Pater, Filius & Spiritus sanctus in vna essentia, per omnia secula seculorum, Amen.

P R E-

VII.

PRECATIO CONTRA
tentationes carnis.

Iustissime DEVS, fateor equidem, quod
in carne mea non habitet bonum, totus
siquidem in peccatis sum natus, & mater
mea concepit me ex semine corrupto. Id-
circo ad te clamo, illumina mentem, & re-
ge voluntatem meam, ne sequar carnis
meæ sensum, in dijudicandis rebus spiritu-
alibus, neque ratione mea cœca diuinos
dimetiar sermones, sed eam captiuam ver-
bo tuo prorsus coërceam. Extirpa in nobis
peccati seminarium, ipsam videlicet con-
cupiscentiam insitam nobis, adeoque
agnatam ex primorum parentum culpa, ne
sectemur carnem nostram luxuriantem,
quæ sine te semper præuaricatur, & transi-
lit metas suas, sed adiua nos, vt crucifi-
gentes eam, cum omnibus concupiscentijs
redigamus in piam seruitutem, ad viuen-
dum tibi DEO nostro. Sancte Pater, san-
ctifica nos verbo tuo, ne contaminemur
vitijs carnalibus, luxu, crapula, & ne illicitis
voluptatibus excutientes Spiritum san-
ctum, corpora nostra reddamus cloa-
cam immundiciæ, & domicilia spurcorum
spiri-

spirituum, qui ebrios & securos in tristem rapiunt turpitudinem, & in æternum præcipitant exitium. Moue cor & animum meum, vt ego fugiens opera carnis, & inuigilans fructibus spiritus, tanquam peculium & domicilium diuinitatis tuæ, sobriè in vero timore & amore nominis tui viuam. Quum autem caro semper concupiscat aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem, tu nobis succurre ope tua diuina, vt spiritus sanctus membris dominetur meis, præualeatque carni, ne extimuletur furijs libidinum, & diffluat animus lasciuia, suppressis motibus pijs. Flammas igitur concupiscentiarum carnalium extingue, vagasque libidines reprime, ne superatus ab eis indulgeam genio meo, sed vt subditus Spiritui sancto coërceam carnem meam, ne posthac in vanitate mentis meæ ambulem, ad perficienda cordis mei desideria. Sicubi autem carne & sanguine præoccupatus exorbitauero à recto tramite, ad faciendum aliquid vocatione mea indignum, noli mihi, æterne ac bone DEVS, hanc imputare noxam ad animæ meæ periculum, sed memento quod caro sumus, quæ suapte natura ad omne malum semper est prona. Da igitur gratiam, vt
ieiunè

ieiunè & moderatè viuendo frenum illi in-
ijciam, eamq; domitam & humiliatam
mandatis tuis subigam, ne eam molliter &
delicatè curando, incendia & fomenta vo-
luptatis illi addam, neque farciens eam ex-
quisitis ciborum dapibus & ferculis opi-
paris procaciorem reddam, aut alioqui re-
pletione ventris salaciorem extimulem. Iu-
ua nos castissime **D E V S**, vt per tempe-
rantiam & frugalitatem, abstinentiamq;
cibi & potus superflui astringatur caro du-
ctui tuo, vitando omnes illecebras carna-
les. Conserua nos Pater cœlestis, ne satan,
mundus & caro nostra nobis imponant, &
nos à recta fide ad superstitionem, despe-
rationem, atque alia graua scelera & flagi-
tia seducant, & vt maximè eiusmodi tenta-
tionibus sollicitemur, ne succumbamus,
sed vt tandem vincamus ac triumphemus,
in filio tuo Domino nostro **I E S V C H R I -**
S T O, Amen.

VIII.

B E N E D I C T I O
vespertina.

EXaltabo te **D E V S**, & incuruabor ad
subsellium pedum tuorum, quia san-
ctum

Etum est, laudabo te D O M I N E, quoniam
suscepisti me, nec delectasti inimicos
meos super me, eduxisti animam meam ex
inferno inferiori, saluasti me à descendentibus
in lacum, & custodiisti pedes meos
à lapsu, gressus meos à nutatione, dilatasti
incessus meos sub me, & non sunt infirma-
ta vestigia mea, nec dedisti in commoti-
onem talos meos, extraxisti furas meas
de luto fecis & miseræ. Ideo confitebor
memoriæ sanctitatis tuæ, & benedicam
nomini tuo altissimo, quia supplantasti
insurgentes mihi, & omnes ofores me-
os disperdidisti, ut terga verterent fugi-
endo. Pater dilectissime, ad pedes tuos
ego procidens largissimam tuam inuo-
co misericordiam, in nomine F I L I I tui,
qui pro nobis dirissimam passus est mor-
tem, ut deleas omnes transgressiones
meas, quibus præuaricatus sum, pro-
pter nomen tuum D O M I N E propicia-
beris peccato meo, multum est enim,
quod commisi. D E V S quis est similis
tibi? qui remittis iniquitatem, & dissi-
mulas peccata reliquijs hæreditatis tuæ,
non roborabis in æternum iram tuam,
sed complacitum est tibi in misericor-
dia, rursus misereberis nostri, calcabis
iniqui-

iniquitates nostras, & deicies in profundum maris omnia peccata nostra. In hac vespertina hora, postquam sol recessit à nobis, & inclinata est dies, precor te **DOMINE**, ne tu sol iusticiæ secedas à me, neque elonges auxilium tuum ab anima mea, sed mane mecum **DOMINE**, quoniam aduesperascit, & finis mundi appropinquat, ne in hoc extremo seculo & temporibus nouissimis, mentem meam obfuscet caligo errorum, & tenebræ densissimæ me circudent. Ne derelinquas me **DOMINE**, **DEVS** mi, nec discesseris à me, quia tribulatio proxima est, & non est, qui adiuuet. Custodi me pijsime **DEVS** per hanc noctem, ne satan suis technis & dolis mihi incommodet. Libera me quoque ab his, qui obseruauit plantam meam, & deduc me in via iusta, ne pes meus impingat, neque succidui titubent gressus mei. Perfunda inimicos meos, vt non possint stare, sed cogantur sub pedibus meis cadere, qui ponunt scandalum tibijs meis. **DOMINE**, dirige me sapientia tua, vt cum ambulauero, gradiatur illa meum, cum dormiero custodiat pedem meum, & euigilans loquar de illa semper. Ita q;

Itaque dormiens non timebo, sed quiescens cubabo, & suavis erit somnus meus, nec pauebo à repentino terrore, neque à grassatione impiorum, quum illa ingruerit, quia tu Domine eris à latere meo, & custodies pedem meum ne capiar, erisque in tenebris lux & salus mea, tu es spes mea, qui altissimum posuisti refugium meum, ne accedat ad me malum, & flagellum ne appropinquet nidulo meo. O Domine esto vigil & protector meus, ne hac nocte turbatio & fluctuatio me inuadat, & ne timor mortis me obruat, neque tempore quietis & refectionis in cubili meo somnus noctis immutet cognitionem aut sensum meum, sed vt placidè dormiens exurgam in crastinum saluus, ad reddendum tibi protectori meo laudes, & gratiarum actiones. **DOMINE** non dabis in commotionem pedem meum, neque dormies tu, qui custodis Israël, Domine tu liberabis me ab omni malo, custodies animam meam, quia in te speraui. Domine custodies introitum & exitum meum, ex hoc nunc & vsque in seculum. Tibi enim **DEO** & Domino æterno committo me, meamque familiam, tu nos custodies, & arcebis à nobis vniuersos istos, qui nos supplantare conan-

conan-

conantur, ne nobis damnum inferant, per
CHRISTVM Dominum nostrum, Amen.

FERIA SEPTIMA.

I.

BENEDICTIO matutina.

Benedictus es Domine, quia visitaſti
nos, & feciſti redemptionem plebis
tuæ, erexiſti cornu ſalutis nobis, ac eri-
puiſti nos ab inimicis noſtris, & de manu
omnium qui oderunt nos, feciſti nobis-
cum miſericordiam, vt illuceſceres his, qui
in tenebris & vmbra mortis ſedebant, ad
dirigendos pedes noſtros in viam pacis.
Tibi Domino & DEO meo in ortu huius
diei benedico, quod me non tantum hac
nocte euoluta, ſed & tota hac ſeptimana,
adeoq; ab vtero matris meæ in hunc uſq;
diem, per omne tempus vitæ meæ tam cle-
menter cuſtodiuſti, ab inſidijs diabolos-
rum, ne me euerterent, ab iniuria filiorum
alienigenorum, animam meam quærenti-
am, pariterq; ab infortunio per diem &
L noctem

noctem occurrente. Idcirco exaltabo te
 DEVS mi rex, & benedicam nomini tuo
 in seculum seculi, laudabo te salutare me-
 um in æternum, quia magnus es Domine,
 & laudabilis nimis, atque magnitudinis
 tuæ non est finis. Ineffabilem clementiam
 tuam Pater celestis, æterne DEVS in hac
 aurora imploro, vt nunc oriente huius
 diei sydere illucescas mentibus nostris, at-
 que effulgeat in cordibus nostris splendor
 agnitionis gloriæ tuæ, imple nos septē do-
 nis spiritus sancti, vtpote spiritu sapientiæ,
 intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ,
 pietatis atq; timoris tui, vt probemus, quæ
 potiora sunt, & exhibeamus membra no-
 stra, ad seruiendum iusticiæ, ambulantes
 in operibus fidei atque dilectionis non si-
 mulatæ. Sis tu mihi Ô DEVS auxilio, ad
 vitandum sex ista, quæ tu odisti, & septi-
 mum, quod detestatur anima tua, nempe
 oculos sublimes, linguam mendacem, ma-
 nus effundentes innoxium sanguinem, cor
 machinans cogitationes iniquas, & pedes
 qui festinantes currunt ad malum, testem
 falsum, qui profert mendacia, & eum, qui
 ferit discordiam inter fratres, præsertim
 vero ad te effundo gemitus cordis mei, vt
 me custodias à septem spiritibus immun-
 dis

dis, ne vnquam animam meam dementent,
abnegatione agnitæ veritatis contra con-
scientiam, ad committendum peccatum,
seu blasphemiam in spiritum sanctum. Do-
mine DEVS salutis meæ, ad te in hoc di-
luculo vigilo, & in conspectu tuo preca-
bor, vt per hunc quoque diem munias
omnia membra atque ossa mea, ne vnum
eorum lædatur, in sex calamitatibus prote-
ges me, & in septima non tanget me ma-
lum, in fame erues me de morte, & in bello
de manu gladij, à flagello linguæ abscon-
dar, & non timebo tribulationem cum ve-
nerit, in vastitate & penuria ridebo, & be-
stias terræ non formidabo, tu enim es sal-
uator & protector meus, in quo spero, &
cuius munimento ac tutelæ committo me,
meamque corpus ac animam, cum omni
possessione mea, cunctamque rem familia-
rem meam, vt vniuersos fidei Christianæ
confortes, qui nomen tuum profitentur.
Tu nos in hac eothina hora præuenias
gratia tua, ac prosequaris nos munimine
tuo, vt per totum hunc diem sentientes
adiutorium tuum, te hîc, & postea in
venturo seculo laudemus
iugiter, Amen.

L 2

GRA-

II.

GRATIARVM ACTIO PRO
misericordia DEI.

Beatissima trinitas, quæ es vera & æter-
 na vnitas, in gloria æquali & maiestate
 inæstimabili, te adoramus, te laudamus &
 glorificamus, tibi que gratias agimus, pro
 omnibus beneficijs tuis, quemadmodum
 verè dignum, iustum, æquum, & salutare
 est, nos tibi semper & vbiq; gratias agere,
 Domine sancte pater omnipotens, æterne
 DEVS, per Christum DOMINVM NO-
 strum, per quem maiestatem tuam laudant
 angeli, adorant dominationes, tremunt
 potestates, cœli cœlorumque virtutes ac
 beati Seraphin, socia exultatione concele-
 brant, supplici confessione dicentes: San-
 ctus, sanctus, sanctus es Domine DEVS
 Zebaoth, pleni sunt cœli & terra gloria
 tua. Inprimis autem tibi iam gratias agi-
 mus, Pater altissime DEVS, pro exube-
 rante misericordia tua erga nos, qui pro-
 pter multam caritatem tuam, qua dilexisti
 nos, etiam cum essemus per delicta mor-
 tui, conuiuifcasti nos, vna cum CHRIS-
 T O, simulq; cum eo resuscitados sedere
 fecisti in cœlestibus, vt ostenderes seculis
 succe-

Gratiarum actio pro misericordia Dei. 133

luculentibus exuperantem opulentiam gratiæ tuæ, pro benignitate tua erga nos, atque per spiritum tuum sanctum præparasti, & obsignasti nos ad bona opera, ad quæ conditi sumus, ut tibi placeremus in noua obedientia. Miserationum tuarum Domine recordabor, laudes tuas pro beneficijs, quæ in me contulisti, recensebo. O quam magna & incomparabilis est misericordia tua Domine, & propitiatio tua infinita erga omnes illos, qui conuertuntur ad te, quis sufficiet enarrare opera tua, aut quis inuestigabit ea? Virtutem magnitudinis tuæ quis numerabit? aut quis poterit effari misericordiam tuam? quæ a deo usque magna & multa est, ut nec augeri, nec minui possit. Quanta enim altitudine cælum superat terram, tanta etiam copia roborasti misericordiam tuam super nos, & quam longe distat ortus ab occidente, tam procul etiam remouisti à nobis iniquitates nostras. Nam quemadmodum pater miseretur filiorum, ita tu **DOMINE** misereris omnium timentium te, quin imò etiam si mater obliuisci poterit infantis sui, ut non misereatur filij uteri sui, tamen tu **DEVS** non obliuisceris nostri, quia in manus tuas conscripsisti nos.

L 3

Bene-

Benedictum sit nomen tuum **DEVS** patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam exhibebis, & in tempore tribulationis, peccata remittes his, qui te inuocant. Hanc tuam benignitatem & supereminentem misericordiam confitebimur, & prædicabimus à generatione in generationem, quia miserator, & misericors es **DOMINE**, patiens & longanimis, ad propitiandum procliuus, ac vehementer clemens erga omnes timentes te. Idcirco laudantes glorificabimus te **DOMINVM**, quoniam confirmata est misericordia tua super nos, & veritas tua manet in seculum seculi, Amen.

III.

ORATIO PRO
fine felici.

DEVS tibi sunt anni æternitatis, homini autem in hoc seculo constituisti terminum, quem transire non potest, dies eius sunt definiti, & numerus mensium eius apud te est, qui subitò præterlabuntur, instar torrentis & fluuij decurrentis, dies mei similes sunt vmbrae inclinatae, & ego quasi herba exaresco, homo in terris est
tanquam

tanquam bulla, & vapor periens: Omnis enim caro est fœnum, & vniuersa gloria eius, quasi flos agri, qui manè virens, vesp̄ri arefcit & decedit. Da nunc mi **D E V S** gratiam, vt animis nostris semper obuerfetur imago mortis, & meditatio obitus nostri, ad considerandam huius arumnosæ & fragilis vitæ fugacitatem, vt tibi **D E O** nostro viuamus in timore nominis tui, expectantes cum alacritate diem discessus nostri, & salutarem apparitionem filij tui **I E S V C H R I S T I** redemptoris nostri, & quamdiu in hoc tabernaculo corpusculi nostri sumus, omni adhibito studio suggeramus fidei nostræ virtutem, & virtuti scientiam, scientiæ verò temperantiam, temperantiæ patientiam, rursus patientiæ pietatem, donec deposito hoc tuguriolo transierimus ad domicilium non manu factum, sed æternum in coelis, vbi superinduemur perpetua gloria & immortalitate, exuto & destructo hoc domicilio terreno. Largire quoque, vt freti tuis promissionibus hilares sumus, ad commigrandum in æternam & cœlestem patriam. Idcirco misericordissime **D E V S**, Pater omnis bonitatis, effice me seruum fidelem & prudentem, qui semper in procinctu stans,

expectet aduentum Domini sui, ne mala & subitanea mortis hora præuentus, & tanquam laqueo aucupis, de improviso obrutus inueniar imparatus, sed in vera conuersione cupiam dissolui, & esse cum **CHRISTO** redemptore meo. Tribue præterea, vt in agone mortis meæ eluctatus ex omnibus difficultatibus & tentationibus triumphem victor, sentiens spiritu sancti præsentiam, & efficaciam, ne labefectatis sensibus meis propter resolutionem spirituum, & propter ingentes cruciatus, quibus natura frangitur, & ratio humana impeditur, erumpam in voces blasphemias, impias & absonas professioni Christianæ, sed rege mentem, linguamque meam spiritu tuo, vsque ad extremum halitum oris mei, & da, vt verbum meum vltimum sit illud, quod in ara crucis loquutus est filius tuus, dicens: Pater, In manus tuas commendo animam meam: & quum amplius effari non potero vllum verbum, exaudi saltem gemitus cordis mei, & appropinquante hora expirationis meæ mitte me seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mentis meæ salutare tuum. Pater æterne **DEVS**, libera nos à malo, ab omnibus periculis corporis & animæ, bonorum

norum & honorum, ac vt tandem, quum
hora mortis venerit, felicem vitæ exitum
largiaris, nosq; pro tua gratuita bonitate
ex hac miseriarum valle, ad te in cœlum
recipere digneris, per **CHRISTVM** Do-
minum nostrum, Amen.

IIII.


PETITIO ALIMENTORVM
huius vitæ.

OMnipotens, æterne pater, ad te clama-
mus filij tui exules, respice de cœlo, de
sancto throno tuo, & emitte benedictio-
nem tuam super nos, da fertilitatem agro-
rum & vinearum, vt sata benè proueni-
ant, & tellus nostra lætas proferat segetes,
nec non prata sint irrigua ad germinan-
dum fœnum & herbam, manda virtuti
tuæ super horrea & cellas nostras, ne sint
vacuæ sine omni penu. Tribue successus fe-
lices cunctis opificibus & mechanicis, vt
prosperentur in vocatione sua, nisi enim
tu **DEVS** ædificaueris domum, in vanum
laborant, qui ædificant eam. Benedic Do-
mine fodinis metallicis & venis earum, vt
ex visceribus terræ tuam quoque hauria-
mus munificentiam. Benedic promptuario
L 5 nostro,

nostro, & operi manuum nostrarum, gregibus armentorum, caulis ouium, ne sit sterilitas, ruina, neque abortio. Protege cunctos viatores & peregrinantes, qui ad longinquas regiones & insulas iter faciendo, seu nauigando se conferunt, transuectum isthinc ad nos varias merces, ad subleuandam inopiam territorij nostri. Omnes mercatores & remiges cum suis facultatibus custodi, ne iacturam faciant rei familiaris suæ. Guberna quoque mentes & voluntates eorum, vt in mercaturis & negociationibus sine fraude, dolo, usura, & abusu nominis tui agant, merces suas iustas iustè venditent & extrudant, vtentes æquis lancibus, iusta statera, pondere & libra, vt habeant retineantque bonam conscientiam: Fac nos virtutum amantes, promissionum seruantes, pactorum & contractuum tenaces, ne quis fratrem suum in negotio opprimat aut circumueniat. Largire gratiam cunctis eumentibus villas, prædia, rura, fundos, iuga bouum, ne capti & immergi terrenarum opum desiderio insatiabili, cœnam magnam Euangelicam contemnant & negligant, sed vt sibi præ omnibus diuitijs coëmant thesaurum illum, in agro abscon-

absconditum, comparentque sibi margaritas regni cœlorum. Custodi nos ab auaritia, quæ est radix omnium malorum, ne ea fascinati aberremus à fide, & nosmetipfos doloribus multis implicemus, sed rege nos spiritu tuo sancto, vt omnem curam nostram iactemus in te Patrem nostrum, ac simus contenti pane quotidiano, illoque frugaliter ad necessitatem, & non ad luxum fruamur. Duo abs te peto mihi **D E V S**, ne deneges mihi antequam moriar, Idolatriam, & verba mendacia longè aufer à me, paupertatem & diuitias ne des mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè saturatus, negando dicam, quis est **D E V S**? aut egestate male-suada compulsus furtum committam. Tu sustentator optime, pasce corpus & animam, & libera nos à malo, quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum,

Amen.



ORA-

ORATIO PRO AFFLICTIS
& persecutionem pati-
entibus.

CHRISTE æterne DEVS, qui nobis præcepisti, vt abnegantes nosmetipfos tollamus crucem nostram quotidie, & sequamur te ducem ac magistrum nostrum in multa patientia, oro te pro omnibus, qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, in quos probra iaciunt, & aduersum quos loquuntur homines omne malum verbum mentientes, & quotquot propter nomen tuum seu veritatem in exilium relegati, coguntur in speluncis & lustris ferarum se abdere, qui patria sunt extorres, spoliati facultatibus, & expositi odijs mundi, qui tormentis varijs & exquisitis afficiuntur supplicijs, succurre his omnibus, ad suffulciendos eos, vt gloria & spiritus tuus super eis requiescat, cuius consolatione perferant omnia incommoda mundi, & inuicta virtute victores sint in his omnibus, exere potentiam tuam pro libera voluntate tua, vt tyrannorum sæuitiam effugiant, atque liberentur miraculose. Quibus verò corporalis redemptio non expedit, sed

sed martyrij corona potior est, hos in medijs doloribus corrobora, ne sibi metuant ab his, qui corpus occidunt, animam autem interficere non possunt, & præsta afflictis gratiam, vt iuxta beneplacitum tuum apud te fidelem conditorem deponant animam suam benefaciendo, eamque hinc tua causa perdetes, saluam & beatam reperiant in altera vita. Omnes tribulatos indue fortitudine tua ex alto, vt animosa fiducia præditi lætentur se dignos haberi, qui pro tuo nomine cõtumeliam & omnis generis persecutiones sustinere debeant, siquidem afflictio patientiam parit, patientia probationem, probatio spem, spes autem non pudefacit, sed accipiet coronam immarcessibilem: Qui enim DEVM glorificant suis passionibus, & constantes sunt in confessione vera, non confundentur in æternum. Suppedita nobis gratiam tuam, ne quis inter nos affligatur, vt homicida aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum, sed habeat testimonium bonæ conscientie, quando immeritò plectitur, & ne quis suppliciorum atrocitate perterritus desciscat a fide, & professionem religionis veræ abijciat, similiter tribue, ne homines opinentur, suis se posse

se posse passionibus expiare peccata, & demereri vitam æternam, quæ gratis donatur credentibus in **CHRISTVM**, & fide vincentibus. Da igitur fortissime **DEVS**, vt nos in cruce & persecutionibus constituti, intueamur exempla illorum, qui ante nos similia passi sunt, & præsertim vestigia tua **CHRISTE** redemptor, quæ nobis reliquisti imitanda, sint nobis commendatiora ad sustinendum & vincendum cunctas acerbitates mortis, tandemq; nobis concede gratiam, vt qui tecum affligimur, etiam tecum conregnaturi simus in perpetuum, Amen.

VI.

ORATIO PRO
viduis & pupillis.

Fidissime **DEVS**, Pater pupillorum & iudex viduarum, in cuius manibus reposita est omnis salus nostra, respice de cælo, qui laborem & dolorem consideras, tibi enim relictus est pauper, orphano tu eris adiutor, desiderium mansuetorum audiuisti **DOMINE**, tu præparabis cor eorum, & auscultabit auris tua, vt iudices præsidio destitutos & inopes, nec appo-
nat

nat ulterius homo, se magnificare super terram, & grassari in miseros. Oro te vindex iustissime, vt habeas rationem omnium viduarum & pupillorum, eosque procures subministrando alimenta & vestimenta, ac misertus eorum in omnibus periculis & necessitatibus, manum tuam auxiliatricem ad liberandum eos porrigas, quemadmodum fecisti viduæ isti, cuius lagenulam olei per Prophetam Elisam ita locupletasti benedictione tua, vt non tantum liberos suos propter æs alienum mancipandos, ex manibus creditorum facta solutione debitorum redimeret, verum etiam de residuo diuenditi olei victum haberet pro se & liberis suis. Tu vtique es **DOMINUS** noster, custodiens aduenas, pupillum & viduam suscipiens, ad disperdendum vias peccatorum. Tu certè tangeris cura afflictorum, & non despicias preces orphani, nec viduam gemitus effudentem. Da his omnibus pie **DEVS**, vt in conspectu omnium gubernatorum & prætorum inueniant gratiam, habeantque æquos in iudicio censors & patronos, ne peruertatur iusticia aduenæ & pupilli, neque causa viduarum negligatur.

Eripe

Eripe illos ex faucibus voracissimorum prædonum, qui domos viduarum, sub prætextu pietatis & specie recti, deglutunt, qui figunt & refigunt leges ad supprimendum pauperes, & vim faciendam causæ humili-um pupilli tui, vt sint viduæ præda & pupilli manubiæ eorum. Da mihi dulcissime **D E V S** animum, vt de illis semper benè mereri studeam, & pro mea facultate liberem pauperem vociferantem, & pupillum cui non est adiutor, atq; sim tanquam pater eorum, ne patiar perire eos. Imper- tire quoque omnibus viduis tuam grati- am, ne versentur in delicijs, nec sint lasci- uæ, ociosæ, circumseuntes per domos, gar- rulæ & curiosæ, & ne vllam dent occasio- nem blasphemandi verbum tuum, sed vt in omnibus afflictionibus sperent in te **D E V M** viuum, & perseuerent nocte die- que in obsecrationibus ac precationibus, sintque in omni opere bono assiduæ. Simi- liter vt orphani in pia institutione educa- ti, agnoscant te Dominum & saluatorem suum, ambulentque in vijs mandatorum tuorum iugiter, ad seruiendum tibi vero **D E O**, qui viuis & regnas cum filio tuo, & spiritu sancto, per infinita secula seculo- rum, Amen.

PRE-

VII.

PRECATIO CONTRA
desperationis malum.

Misericordissime **D E V S**, ego reus
omnium peccatorum, deliqui in te
D E V M meum, hanc ob causam multipli-
citer conscientia mea grauata est, adeo vt
prorsus consternato sim animo, sentiens
atrocissima animæ vulnera. Licet verò
Euangelium tuum mihi remissionem pec-
catorum, ex mera gratia irrefragabiliter,
sine omni simulatione quotidie offerat,
tamen fides mea admodum infirma est, &
oppugnata sæpe languidior inuenitur, cui
Satan suis technis omnem spem & conso-
lationem adimere conatur. Idcirco ad
te clamò sancte pater, æterne **D E V S**, serua
me in nomine tuo, ne in tentationibus de-
spondeam animum. Moderare & attem-
pera ærumnas meas, vt sortiantur lætam
catastrophem, ne incidam in grauiissimum
scelus incredulitatis & desperationis, sicut
Cain impius, qui peccata sua plura & ma-
iora dicebat, quàm vt possent remitti.
O I E S V saluator mundi, **D E V S**, qui sca-
turiendo & indefinenter ebulliendo infi-
nitis exundas miserationibus, & es orator

M

æter-

æternus, qui foris genus humanum allo-
 queris per Euangelium, & intus in cordi-
 bus nostris accendis lumen, agnitionem
 & consolationem, te inuoco ex toto corde
 meo, monstra mihi pectus & voluntatem
 patris tui, expressam in verbo tuo, vt sen-
 tiam in animo meo consolationem & pa-
 cem conscientie. Adauge mihi fidem,
 confirma spem & corrobora patientiam,
 hoc enim certissime verum est, quod vni-
 ca guttula sacratissimi sanguinis tui pro
 me effusi, multo sit potentior, longè effi-
 caciior omnibus meis peccatis enormissi-
 mis. Quapropter respice me oculis mise-
 ricordie tue, quemadmodum aspexisti
 Petrum, in atrio aulae prætorie, postquam
 te abnegarat, & seipsum diris deuouerat,
 ne per diffidentiam tua gratia excidam, si-
 cut Iudas proditor, qui seipsum laqueo
 suspendens, crepuit medius, effusis omni-
 bus visceribus suis. Spiritus alme DEVS,
 adesto mihi in extrema necessitate mea,
 quando diaboli me accusabunt, & quando
 tota rerum natura mihi aduersabitur, tunc
 confirma cor meum, vt indubitanter cre-
 dam peccatorum remissionem, quæ mihi
 & omnibus in te confidentibus certò do-
 nabitur. O sancta Trinitas, vna essentia,
 æternæ

æterne D.E V S, da, vt in omni lucta mea,
& præsertim in agone mortis. memor fœ-
deris tui mecum in baptismo initi, & dul-
cissimæ promissionis tuæ annexæ (qui
crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit)
nullatenus addubitem de tua clementi vo-
luntate erga me, sed & pactus cœna Domi-
nica certior fiam de gratuita remissione
delictorum meorum omnium. Erige cor-
da mœsta, & morientes recrea suauissimo
conspectu tui, vt læti hinc emigremus ad
te in cœlum, vbi tu viuis & regnas D E V S,
in omni perpetuitate, Amen.

VIII.

B E N E D I C T I O
vespertina.

C O N F I T E O R tibi Domine rex, & laudo te
D E V M saluatorem meum, gratias
agens nomini tuo, quod auxilium & pro-
tectio mea es, & liberaisti corpus meum
à perditione, à laqueo linguæ calumniosæ,
à labijs operantium mendacium, & factus
es mihi adiutor contra aduersarios meos.
Eruisti me secundum copiosam misericor-
diam nominis tui, à rugientibus bestijs, pa-
ratis ad deuorationem, de manu eorum,

M 2 qui

qui insidiabantur vitæ meæ, ex compluribus ærumnis & afflictionibus, in quibus iacebam, ex incendio, quo circumdatus eram, è medio ignis, ne in illo conflagrarem, ex faucibus inferni, à susurrionibus & delatoribus coram rege, & à sententia iniusta. Proximus eram morti, & vita mea propinqua erat orco infimo, circumdederunt me vndiq; mala, & non erat adiutor, quæsiui apud homines auxilium, & nullum inueni, ibi recordatus sum Domine misericordiæ tuæ, & quod tu omni tempore certò adiuuisti me, nam liberas omnes, qui te expectant patienter, & conseruas ereptos ex manu hostium, ego orabam ad te Dominum, contra furorẽ ipsorum ac suppliciter instabam, vt redimerer à morte, & inuocaui te DEVM patrem, & dominatorem meum, ne desereres me in die afflictionis, insultantibus superbis, cum ego auxilio destituerer. Laudo nomen tuum iugiter, celebros te & gratias ago tibi in hoc crepusculo vespertino, nam exaudita est deprecatio mea, & conseruasti me à malitia satanæ, ab interitu & ab omni malo. Iuste & misericors DEVS tibi supplico per mortẽ & sepulturam Domini nostri IESV CHRISTI, vt sepelias & occultos

nunc fide appetens expecto, donec mihi
 illucescat aurora perpetua, ut te intuear in
 clara luce, de facie ad faciem, ubi nox nulla
 erit, sed sempiternus dies, ubi non egebo
 lumine lucernæ, neq; lumine solis, sed tu
 Domine eris mihi in lucem perpe-
 tuam, ex hoc nunc & vsque in
 seculum, Amen.




L I P S I Æ,
 IMPRIMEBAT MICHAEL
 LANTZENBERGER
 ANNO
 M. D. XCVI.

INDEX PRECA-

TIONVM.

Feria prima.	Oratio pro subditis.	33
Benedictio matutina.	1	Precatio contra hostes
Gratiarū actio pro cre-	3	Ecclesie Dei.
atione.		35
Petitio remissionis pec-		Benedictio vespertina.
catorum.	5	38
Petitio conseruationis		Feria tertia.
Ecclesie.	8	Benedictio matutina.
Pro concionatoribus		40
verbi.	10	Gratiarum actio pro
Oratio pro auditoribus		sanctificatione.
verbi diuini.	12	43
Precatio contra Pseudo-		Petitio spei.
prophetas.	15	46
Benedictio vespertina.		Petitio humilitatis.
17		49
Feria secunda.		Oratio pro coniugibus.
Benedictio matutina.		51
20		Oratio pro iuuentute.
Gratiarum actio pro re-		54
demptione.	22	Precatio contra Sata-
Petitio fidei.	25	nae voluntatem.
Petitio regni Dei.	27	56
Pro magistratu politi-		Benedictio vespertina.
co.	30	59
		Feria quarta.
		Benedictio matutina.
		62
		Gratiarum actio pro
		agni-

<i>agnitione Euangelij.</i>	65	<i>Petitio vera pœnitentia.</i>	118
<i>Petitio caritatis Christianæ.</i>	68	<i>Petitio Christianæ patientiæ.</i>	115
<i>Petitio panis quoti.</i>	70	<i>Oratio pro peccatoribus & pro ægrotis.</i>	73
<i>Oratio pro peccatoribus & pro ægrotis.</i>	76	<i>Oratio pro capti.</i>	120
<i>Precatio contra tentationes satanæ.</i>	78	<i>Precatio contra tentationes carnis.</i>	123
<i>Benedictio vespertina.</i>	81	<i>Benedictio vespertina.</i>	125
<i>Feria quinta.</i>		<i>Benedictio matutina.</i>	85
<i>Benedictio matutina.</i>	85	<i>Feria septima.</i>	
<i>Gratiarum actio pro victu.</i>	88	<i>Benedictio matutina.</i>	129
<i>Petitio unitatis fidei vere.</i>	90	<i>Gratiarum actio pro misericordia Dei.</i>	132
<i>Petitio pacis.</i>	93	<i>Petitio pro sine felicitate.</i>	134
<i>Oratio pro incredulis.</i>	96	<i>Petitio alimentorum huius vitæ.</i>	137
<i>Oratio pro benefactoribus.</i>	98	<i>Oratio pro afflictis & persecuti.</i>	140
<i>Precatio contra mundi scandala.</i>	101	<i>Oratio pro viduis & pupillis.</i>	142
<i>Benedictio vespertina.</i>	104	<i>Precatio contra desperationis malum.</i>	145
<i>Feria sexta.</i>		<i>Benedictio vesper.</i>	147
<i>Benedictio matut.</i>	107	<i>FINIS.</i>	
<i>Gratiarum actio pro passione Christi.</i>	110		





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Jan 7350

Breuiarium,
COMPLECTENS
PRECES CHRISTIANAS,
PER SINGVLOS
septimanæ dies,
PRO OMNIBVS STA-
TIBVS ET ORDINIBVS
huius vitæ dicendas.

AVTORE
IOHANNE AVENARIO
EGRANO.



*Valentinus
Bernhardus
Mylus
comparavi hunc
Alfeld. 1661.*

15

96.

LIPSIÆ.
CV M PRIVILEGIO.
Impensis V. Voegelini.

